Programm

des

Großherzoglich Hessischen Gymnasiums

zu

Gießen,

als Einladung

zu den am 27. und 28. März 1874

Statt findenden öffentlichen Schulprüfungen.

Weidner, A. (Andreas)

Wissenschaftliche Beigabe: **Andreae Weidneri de Aeschinis emendatione ad Cobetum epistula.**

Gießen 1874.
Druck von Wilhelm Keller.

C. G. Cobeto

S.

Magnam nuper percepi voluptatem, cum alteram *Variarum Lectionum* editionem diu nobis desideratam acciperem et evolverem. Nam primum mihi illud pergratum accidit, quod superiora Tua inventa, quibus optime iuventus ad criticae artis rationem erudiri solet, novis iam conmentis aucta exire voluisti, tum nihil mihi iucundius erat, quam Aeschinis orationum emendationem Tuo ingenio et consilio sustentatam et provectam esse. Et quoniam illud Horatii „principibus placuisse viris non ultima laus est“, meum quoque animum altius perstrinxit, quanta ego laetitia mea in Aeschinis emendatione incepta Tibi placuisse viderim, facile animo poteris conligere. Iudicasti enim sic : Ctesiphonteam multo quam vulgo fieri soleat emendatiorem a me editam, longe maximam τῶν παρεμβεβλημένων partem expunctam, haud pauca feliciter emendata, denique de codicibus sana ac prudenti a me ratione iudicatum esse (p. 483). Sed quo magis mihi Tua auctoritas veneranda videtur, eo maiori mihi dolori erat, quod Berolinensem meam editionem omnium Aeschinis orationum nondum ad Batavos penetrasse viderem. Qua si uti Tibi liceret, haud exiguam emendationum partem retinere, aliis vero inventis rem inchoatam perficere Te potuisse credo. Nec cum universam meam emendationem Tibi probatam esse videam, quin ut Ctesiphonteae ita hanc Aeschinis editionem auctoritate Tua adiuvaturus fueris, ego iam dubito. Verum enim vero, ut ipse dixisti, multa etiam nunc relinquuntur, quominus perfectam Aeschineae eloquentiae imaginem intueamur. Quare Tuis inventis et laudibus simul adductus cum haud pauca me excogitasse credam, quae ad pleniorem huius [illegible] emendationem valeant, haec tamquam pro debito officio mihi ad Te potissimum [illegible] duxi. Ac Tuo quidem iudicio ista conamina subicienda videntur, quia praeter Te [illegible] mem fere nostra quidem aetate florere sentio, quem huic negotio parem fore [illegible]. [illegible] quicumque ad Aeschinem emendandum animum studiumque conlaturus est, [illegible] structum esse oportet. Et primum quidem vitiorum varietas quanta progressione [illegible] quos potissimum locos grammaticorum sedulitas additamentis adficere [illegible] veteres rhetores in veterum scriptis depravandis observaverint, quo deni[illegible] grassata fuerit, nisi qui cum multorum annorum multaeque lectionis [illegible] et Demosthenis codicum contem[illegible] com[illegible] cognoverit, [illegible]

vitiorum genere maxime adfectas resuscitare aut redintegrare non poterit. Ad hanc autem cognitionem accedat oportet egregia quaedam et singularis Graeci sermonis scientia. Has duas virtutes in Te uno coniunctas et paene absolutas inesse, nemo ne inimicorum quidem grex infitiabitur. Ego vero ut codicis cuiusque naturam et condicionem in Thucydidis historiis et in Oratorum reliquiis multum ac saepe me contemplatum esse adfirmo, ita ad perfectam Graeci sermonis scientiam multum mihi etiam nunc deesse haud nescius sum. Nam ab ineunte aetate forte accidit ut studium animumque magis ad latinum quam ad graecum sermonem converterem. Ita factum est, ut quae ad Aeschinis emendationem elucubraveram, haec tamquam tirocinii rudimenta emitterem. Quod cum ita sit, Tua auctoritate edoctus vehementer laetor, operam et oleum me non perdidisse. Nam in Germania meam operam adhuc aut ignoratione contemptam iacere aut incertis incertorum hominum sermonibus rodi aut scholasticorum invidia superbo premi silentio, Tibi profecto credibile erit, qui doctorum eorum qui hodie apud nos auctoritate florent consuetudinem optime noveris : quidquid in Germania exiit, si non una aliqua ex doctrinae officina fluxerit, abiectum et contemptum habetur. Ridiculum Tibi credo videbitur et omni rationi contrarium, at iudicavit nuper quispiam hunc in modum : illud quidem a me demonstratum esse luce clarius, ingenti et inmensa Aeschinem adfectum esse corruptela, sed quod nimis multas Cobeti aliorumque coniecturas recipiendas duxerim, hoc vero admodum vituperandum esse! Videsne istos homunculos sana mente cassos suam sibi sapientiam sapere? Illud quidem, quod maximum est, nemo adhuc animadvertit, diversissimis ex rationibus profectum me ad eundem prorsus finem ac Te pervenisse : Tuas videlicet coniecturas plurimas mea codicum existimatione ad certissimarum emendationum veritatem provectas!

Sed redeo ad Aeschinem nostrum, quem ut aliquando a proditionis crimine me vindicaturum spero ita nunc orationis saltem vitiis haud paucis exonerabo.

Atque ex tribus Aeschinis orationibus quae tandem plurima contraxerit menda, haud facile est dictu; illud utique certum est, Timarcheam innumerabili paene vitiorum multitudine obrutam diu iacuisse contemptam. Nunc cum mea opera tum Tuo ingenio ac singulari doctrina factum est, ut integra orationis species ac forma emergere et quasi enitescere coeperit, at haud exigua tamen pars vitiorum etiam nunc emendanda relinquitur. Equidem quo minus quod mihi proposueram opus absolverem, non modo doctrinae mediocritate, sed nimia etiam verecundia quadam constrictus prohibebar. Quare nunc, quantum per temporis angustias licebit, quae tum omiseram corrigere et explere in animo est. Rem autem sic instituam ut orationum ordine servato potius novas proponere emendationes quam si quid ipse parum recte constituisse videare, hoc refellere studeam. Nam in plurimis ac maximis quaestionibus ego Tibi assentior, de parvis vero disceptare, quam diu maiora remanent vitia, non videtur mihi operae pretium futurum.

I 14 : *σκέψασθε δὴ ὡς καλῶς, ὦ ἄνδρες, ζῶντος μὲν αὐτοῦ ἀφαιρεῖται τὴν ὄνησιν τῆς παιδοποιίας, ὥσπερ ἐκεῖνος τοῦ παιδὸς τὴν παρρησίαν, τελευτήσαντα δ' αὐτὸν, ἡνίκα ὁ μὲν εὐεργετούμενος οὐκ αἰσθάνεται ὧν εὖ πάσχει, τιμᾶται δὲ ὁ νόμος καὶ τὸ θεῖον, θάπτειν ἤδη κελεύει.* Hoc loco cum in codicibus A *ὥσπερ ἐκεῖνος ἐκείνου τὴν παρρησίαν*, in B *ὥσπερ ἐκεῖνος τοῦ παιδὸς τὴν παρρησίαν* scriptum exstet, hanc quidem scripturam codicum B pro coniectura esse habendam, in ipso autem Archetypo corruptelam vel lacunam fuisse manifestum est. Quaeritur iam, num hac ipsa coniectura ad veritatem perventum sit. Et primum vox *παρρησία* conmunem illa quidem libertatem significat, at propriam tamen magis publice dicendi quam privatam agendi libertatem, cf. III 6 : *ὅτι ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ μέλλει τὴν ψῆφον φέρειν περὶ τῆς ἑαυτοῦ παρρησίας.* Nec illa magis filius inpubes quam pater ipse secundum eam quam recitavit Aeschines legem

per vitam privatus fuerat. Accedit quod pronomen *ἐκεῖνος* de mortuis proprie usitatum hic profecto parum commodum atque etiam obscurum est. Et quoniam *παιδοποιία* publicum habebatur officium, publicis autem in rebus publico cives utebantur auxilio, si quidem plenum civitatis ius sibi servaverant, pater filium corrumpi passus, cum ipse se plena civitate defraudaverit, ut capite deminutus nihil publicae ex illa officiorum ratione utilitatis percipit. Nam privatim et sua sponte patrem a filio sustentari per leges licebat. Quare Archetypi lacunam ego sic explere malim : *ὥσπερ καὶ αὐτὸς αὑτοῦ τὴν παρρησίαν*. Iam vero in eis quae secuntur stare non posse *τελευτήσαντα δ' αὐτὸν* recte animadvertisti, at nescio an non necessarium sit hoc pronomen *αὐτὸν* funditus deleri. Nam cum duo diversa tempora contraria inter se opponantur, vitae et mortis, quanto cum ad codicum scripturam tum ad sententiae rationem emendari praestat : *τελευτήσαντα δ' αὖ*! Hunc particulae *αὖ* usum (= *rursus*) apud Demosthenem frequentissimum, in ceterorum oratorum monumentis saepius quam credas inscitia librariorum obscuratum, nihil est quod exemplis conprobem, cf. Ullrich, Beiträge zur Kritik des Thukydides, Hamb. 1851 p. 18, Frohberger in Jahnii Annalibus 1861, 2, 184, ad Lys. XIX 4. Apud Dinarchum I 74 : *πότε δ' αὖ* [*τοὐναντίον*] *ταπεινὰ καὶ τοῦ φρονήματος ἀνάξια* [*διεπράξαντο*]; mihi utrumque vocabulum uncis inclusum ad grammaticorum sedulitatem referendum videtur.

I 37 : *ἐὰν ἀναγκαζόμενος λέγειν περὶ ἐπιτηδευμάτων φύσει μὲν μὴ καλῶν τούτῳ δὲ πεπραγμένων ἐξαχθῶ τι ῥῆμα εἰπεῖν ὅ ἐστιν ὅμοιον τοῖς ἔργοις τοῖς Τιμάρχου*. Codices ibi A : *προεξαχθῶ*, B : *ἐξαχθῶ*, at contra I 70 : *ἆρά γε προαχθήσομαί τι σαφέστερον εἰπεῖν* in A exstat : *ἐξαχθήσομαι*, in B : *προαχθήσομαι*. Nulla vero variatio est III 94 : *εἰς γὰρ τοῦτο προήχθη Καλλίας μὲν ὕβρεως καὶ πλεονεξίας κτλ.* Dem. Mid. 79 : *οὐ γὰρ ἔγωγε προαχθείην ἂν εἰπεῖν πρὸς ὑμᾶς τῶν τότε ῥηθέντων οὐδέν*, at contra ibid. 74 : *μᾶλλον δ' εὐτυχῶς οἶμαι βεβουλεῦσθαι ἀνασχόμενον τότε καὶ οὐδὲν ἀνήκεστον ἐξαχθέντα πρᾶξαι*. Pertinet igitur *ἐξαχθῆναι* ad eum qui ira vel aliqua animi conmotione abreptus nefanda aut agat aut dicat, *προαχθῆναι* vero ad eum, qui modum quendam aut dicendo aut agendo excedere videatur. Inde utroque Timarcheae loco nihil nisi *προαχθῆναι* verbum accommodatum esse apparet. Nam qui aut metuere se dicit, ne longius progredi videatur, aut ex iudicum consessu quaerit, an longius etiam progredi liceat, is procul profecto abest a furore animi ac libidine. Quamvis in simili ratione versetur, at irae tamen ardore abreptus Dem. dicit XIX 225 : *καὶ γὰρ εἴτι σιωπᾶν ἐγνώκειν, λέγειν ἐξάγομαι* = animum continere non possum quin eloquar.

I 25 : *μέγα δὲ πάνυ σημεῖον ἔργῳ οἶμαι ἐπιδείξειν· εὖ γὰρ οἶδ' ὅτι πάντες ἐκπεπλεύκατε εἰς Σαλαμῖνα* [*καὶ τεθέασθε τὴν Σόλωνος εἰκόνα*], *καὶ αὐτοὶ μαρτυρήσαιτ' ἂν ὅτι ἐν τῇ ἀγορᾷ τῇ Σαλαμινίων ἀνάκειται ὁ Σόλων ἐντὸς τὴν χεῖρα ἔχων*. Quae est ista sententiarum confusio? Quid? Athenienses Salamina tramissos Solonis statuam spectasse putabimus, deinde adnuisse Solonem in Salaminiorum foro brachium tunica cohibentem positum esse? At Salaminis nomine semel usurpato quid Salaminiorum nomen denuo conmemorari attinebat? Quid? Solone ipso memorato cur denuo illius nomen quasi paulo ante non exauditum cietur? Iam vero *ἀνάκειται* revocat supervacuam *εἰκόνος* notitiam! Denique statua ipsa iam praedicata nihil nisi hoc relinquebatur, ut qua tandem illa specie esset proprie orator edissereret. Nunc inmanitas et deformitas totius sententiae documento est enuntiatum illud, quod a me supra inclusum est, a grammaticis falso additum esse. Atque haec coniectura augetur eo quod in libris pro *τεθέασθε* etiam *τεθεωρήκατε* invenitur. Denique integritatem illam orationis confirmavit Dem. XIX 251 : *ἔφη τὸν Σόλωνα ἀνακεῖσθαι τῆς τῶν τότε δημηγορούντων σωφροσύνης παράδειγμα, εἴσω τὴν χεῖρα ἔχοντα* [*ἀναβεβλημένον*]. Nam extremum hoc participium alterius dictionis explicationem addit.

I 41 : *περὶ δὲ τὸ πρᾶγμα τοῦτο δαιμονίως ἐσπουδακώς*. Veri simile videtur Aeschinem dixisse *δαιμονίως ὡς ἐσπουδακώς*, veluti dicebatur *ὑπερφυῶς ὡς, ἀμηχάνως ὡς, θαυμασίως ὡς, θαυμαστῶς ὡς*, quem ad modum ipse in Epim. 540 nuper ad II 26 ingeniose proposuisti *παραδόξως ὡς* et Plat. Gorg. 481 B : *ἐμοὶ μὲν δοκεῖ ὑπερφυῶς ὡς σπουδάζειν*.

I 46 : *ἐὰν μὲν οὖν ἐθελήσῃ ὁ Μισγόλας δεῦρο παρελθὼν τἀληθῆ μαρτυρῆσαι, τὰ δίκαια ποιήσει· ἐὰν δὲ προαιρῆται ἐκκλητευθῆναι [μᾶλλον ἢ τἀληθῆ μαρτυρεῖν], ὑμεῖς τὸ ὅλον πρᾶγμα συνήσετε*. Inclusa verba expungere et molestam istam loquacitatem tollere codicum credo condicione tamquam religione et sacramento adigimur. Ac prorsus eandem medelam adhibuisti nuper in iis quae secuntur : *εἰ γὰρ ὁ μὲν πράξας αἰσχυνεῖται καὶ προαιρήσεται χιλίας δραχμὰς [μᾶλλον] ἀποτῖσαι τῷ δημοσίῳ*, ubi quaeritur, an *δραχμὰς* quoque ex interpretamento ortum sit, cf. I 110. Dem. XXIV 3. 7. XXII 21. 26. 27. 28.

I 47 : *γέγραφα μαρτυρίαν τοῖς εἰδόσι [Τίμαρχον] τουτονὶ ἐκλιπόντα τὴν πατρῴαν οἰκίαν [καὶ] διαιτώμενον παρὰ Μισγόλᾳ*, ubi *καὶ* delendum luce clarius est. Nec enim testes dicturi sunt Timarchum et paternam domum reliquisse et apud Misgolam conmoratum esse, sed paterna illum domo derelicta apud Misgolam vitam degisse. Idem vitium meliorum codicum ope dudum sublatum est III 125 : *ἐπειδὴ ἐκ τοῦ φανεροῦ τὴν πόλιν ἄνθρωπος οὐκ ἐδύνατο σφῆλαι, εἰσελθὼν εἰς τὸ βουλευτήριον, καταστησάμενος τοὺς ἰδιώτας ἐκφέρεται προβούλευμα κτλ.* Cf. ad I 175.

I 48 : *ἂν δ' ἄρα καὶ τούτους πείσωσι μὴ μαρτυρεῖν, ὡς οὐκ οἶμαι [γε]*. Particulam inclusam cum melioribus libris abicere debueram.

I 49 : *καὶ ἐγὼ μὲν τοσαυτασὶ πολιὰς ἔχω, ὡς ὑμεῖς ὁρᾶτε*. Sic ego nuper recte opinor scripsi, cf. Aristoph. Eq. 520 : *ἅπαθε Μάγνης ἅμα ταῖς πολιαῖς κατιούσαις*, ibid. 908 : *ἐγὼ δὲ τὰς πολιάς γε σοὐκλέγων νέον ποιήσω*, Frgm. 360 : *ἐκλέγει τ' ἀεὶ ἐκ τοῦ γενείου τὰς πολιάς*; praeterea cf. Kruegeri nostri artem gr. 43, 3, 3.

I 50 : *τελευταίαν δέ μοι λαβὲ τὴν αὐτοῦ Μισγόλα μαρτυρίαν, ἂν ἄρα καὶ τοὺς θεοὺς δεδιὼς καὶ τοὺς συνειδότας αἰσχυνόμενος . . . ἐθελήσῃ τἀληθῆ μαρτυρεῖν*. Ibi Aoristus coniunctivi vix stare potest; anteponendum saltem est illud quod codicum AM fide nititur *ἐθέλῃ*.

I 57 : *πρῶτον μὲν οὖν τῷ Πιτταλάκῳ διελέχθη δεόμενος παραδοῦναι τοῦτον· ὡς δ' οὐκ ἔπειθεν, αὐτῷ [τούτῳ] προσβάλλει*. Pronomen *τούτῳ* in melioribus libris (A) omissum esse perhibetur, recte opinor; pronomine *αὐτῷ* reus ipse cuius memoria paulo ante accusativo pronominis *τοῦτον* ad cogitationem auditorum revocata fuerat, satis aperte indicatur. Repetitio eiusdem pronominis, cum nihil ad intellegentiam et perspicuitatem conferat, orationem molesta loquacitate oneratam efficit.

I 64 : *καὶ ὅλως ἀπετόλμων ὑμῖν οὗτοι περὶ τῶν Ἑλληνικῶν συμβουλεύειν*. Ibi quod optimis ac pluribus est libris traditum *ὑμῖν πρῶτοι οὗτοι*, non interpolatum nuper sed corruptum esse dixi; nunc haec verba sic emendari posse existimo : *καὶ ὅλως ἀπετόλμων ὑμῖν ἐν πρώτοις οὗτοι περὶ τῶν Ἑλληνικῶν συμβουλεύειν*.

I 72 : Locum intricatum nuper intemptatum reliqui : *οὐ γὰρ ἔγωγ' ὑπολαμβάνω οὕτως ὑμᾶς ἐπιλήσμονας εἶναι, ὥστ' ἀμνημονεῖν ὧν ὀλίγῳ πρότερον ἠκούσατε ἀναγιγνωσκομένων τῶν νόμων, ἐν οἷς γέγραπται, ἐάν τις μισθώσηταί τινα κτλ.* Quodsi coniungere volueris *τῶν νόμων ὧν ὀλίγῳ πρότερον ἠκούσατε ἀναγιγνωσκομένων*, hanc rationem prohibet articuli ante *νόμων* adiectio. Hoc iam dudum viderat Hertlinius (Coniecturen zu Griech. Prosaikern II 25). Nec huc referri posse credo huiuscemodi exempla ut Plat. rep. 497 c : *δῆλος δὴ [οὖν] εἶ ὅτι μετὰ τοῦτο ἐρήσει τίς αὕτη ἡ πολιτεία. οὐκ ἔγνως, ἔφη· οὐ γὰρ τοῦτο ἔμελλον, ἀλλ' εἰ αὕτη ἣν ἡμεῖς διεληλύθαμεν, οἰκίζοντες τὴν πόλιν, ἢ ἄλλη*, ubi *ἣν* referendum ad *πολιτεία*, *οἰκίζοντες* autem *τὴν πόλιν* subiectum

est uni verbo *διεληλύθαμεν*; sed addi potest articulus substantivo quod pronomini relativo subicitur, si aut substantivum in appositione est aut ad certam aliquam rem paulo ante memoratam recordatio revocatur, cf. Plat. Gorg. 469 a : *τί δαί; οὕτω σοι δοκεῖ ἔχειν περὶ ὧν ἐγὼ λέγω τῶν ἀνθρώπων*; ibid. 477 a : *ἆρα ἥνπερ ἐγὼ ὑπολαμβάνω τὴν ὠφέλειαν*; Soph. 246 c : *παρ' ἀμφοῖν τοίνυν τοῖν γενοῖν κατὰ μέρος λάβωμεν λόγον ὑπὲρ ἧς τίθενται τῆς οὐσίας;* at illo Aeschinis loco nec appositio ulla nec superioris notitiae significatio cogitari potest. Apparet igitur in ista attractione articulum esse expungendum, si quidem relativum enuntiatum vere traditum est. Sed hanc ipsam partem in vitio esse meliores libri testimonio sunt, in quibus legitur : *ὥστ' ἀμνημονεῖν ὀλίγῳ πρότερον ἀκούσαντες ἀναγιγνωσκομένων τῶν νόμων*. Qua ex scriptura facile intellegitur, ab ipso Aeschine nihil nisi haec profecta : *ὥστ' ἀμνημονεῖν τῶν νόμων, ἐν οἷς γέγραπται κτλ*, cetera a grammaticis excogitata esse, ut *ἐπιλήσμονας εἶναι* cur Aeschines dixisset de suo more explicarent. At ipsa ista legis verba, quae deinceps audientibus in memoriam vocantur, insiticia et conflata esse arbitraris ex § 13. Hanc ad opinionem ego accedere non possum. Nam omnis quae sequitur probatio nititur legis ipsius conmemoratione : et ipsum testem noxium esse et extremae poenae teneri periculo. Haec ut probaret Aeschines, ipsius legis verba repetere et potuit et debuit : ista quidem probatio utique facillima. Hoc quidni faceret? Certe non erat cur legem ipsam recitari iuberet, at quae ad noxium testem pertinerent breviter conmemorasse perconmodum erat.

I 77 : *καὶ ἔγωγε, ἐπειδὰν προσίω πρὸς τὸ δικαστήριον καὶ ἀκροάσωμαι τῶν ἀγωνιζομένων, ὁρῶ ὅτι ἀεὶ τὸ αὐτὸ [παρ' ὑμῖν] ἰσχύει.* In altera codicum parte (AM) quoniam inverso ordine *ἰσχύει παρ' ὑμῖν* legitur, istam iudicum notitiam omnino insiticiam esse probabile est, cum praesertim et paulo ante iudicii conmemoratio facta sit et deinceps accusatorum et iudicum consuetudo qualis fuerit pluribus exponatur.

I 81 : *ἦν μὲν ὁ τὸν λόγον λέγων ἐκ τῶν Ἀρεοπαγιτῶν Αὐτόλυκος καλῶς νὴ τὸν Δία καὶ τὸν Ἀπόλλω καὶ σεμνῶς [καὶ ἀξίως ἐκείνου τοῦ συνεδρίου] βεβιωκώς.* In melioribus libris est *τοῦ συνεδρίου ἐκείνου*. Ergo saltem hoc pronomen delendum; nam Areopagitarum collegium subaudiendum esse apparet. Inde suspicio mihi orta est, ne *τοῦ συνεδρίου* etiam spurium habendum videatur. Nam *ἀξίως ζῆν* cum alibi sine genetivo occurrat tum hoc loco eiusmodi attributum paene excludit. Quid porro? Aliudne est *ἀξίως ζῆν* et *καλῶς καὶ σεμνῶς ζῆν*? Ipsa vero *σεμνότης* propria fuit Areopagitarum et quae hoc proprie loco efferretur, ne quod sequitur dictum ex lascivia quadam et petulantia hominis manasse videretur. Hanc rationem interpositis verbis *καὶ ἀξίως ἐκείνου τοῦ συνεδρίου* turbatam ac paene eversam esse patet.

I 84 : *ἔνθα δὴ καὶ παρέρχεται Πύρρανδρος ἐπιτιμήσων ὑμῖν καὶ ἤρετο τὸν δῆμον, εἰ οὐκ αἰσχύνοιντο γελῶντες παρούσης τῆς βουλῆς [τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου]· ὑμεῖς δ' ἐξεβάλετ' αὐτὸν ὑπολαβόντες· ἴσμεν μὲν ὦ Πύρρανδρε ὅτι οὐ δεῖ γελᾶν τούτων ἐναντίον κτλ.* Omnium primum expunxerim istud additamentum : *τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου*. Nam cum Areopagita dixerat de suo senatu, Athenienses certe non quingentorum senatum audire licebat, cf. Dem. XXIII 26. 30. Externum autem signum est, quod in nonnullis libris exstat *τῆς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ*. Deinde non facere possum quin Tibi congratuler quod § 85 palmari profecto emendatione optimorum codicum scripturam (*ἦν*) in integrum restituisti. Hanc consideret, qui adhuc anxius et sollicitus nostram emendandi viam et rationem addubitaverit!

I 102 : *Ἀρίγνωτος πρεσβύτης διεφθαρμένος τοὺς ὀφθαλμούς . . . . . ὅτε δ' ἔζη, πᾶσαν τὴν οὐσίαν διεχείριζε διὰ τὴν [ἀσθένειαν καὶ τὴν] συμφορὰν [τὴν περὶ τὰ ὄμματα] τοῦ Ἀριγνώτου.* Credas Aeschinem non Timarchi exagitare nequitiam sed deflere ac miserari Arignoti miseriam :

tam multis verbis calamitatem hominis iudicum animis inculcat! Paullo ante dixerat Arignotum oculis captum fuisse, mox non sufficit recordationem huius mali renovasse sed exponit simul, quam illud sedem habuerit, nec hoc satis est: monemur etiam illud malum fuisse morbum videlicet. At quo istas ambages? Nihil credo ad ipsum auctorem referendum quam hoc *διεχείριζε διὰ τὴν συμφορὰν τοῦ Ἀριγνώτου*. Signa autem depravationis haec sunt: primum in codd. B *ἀσθένειαν*, in A *νόσον* exstat, deinde *διὰ τὴν ἀσθένειαν (νόσον) καὶ τὴν συμφορὰν* articulo iterato dictum est, quasi morbus et calamitas ex uno malo contracta diversissima natura fuerint.

I 109: *ἀλλὰ καθ' αὑτὸν μὲν ἄρχων φαῦλος ἦν, μετὰ πλειόνων δ' ἐπιεικής*. In codd. A: *ἦν οὗτος*. Corrigendum igitur: *ἀλλὰ καθ' αὑτὸν μὲν ἄρχων φαῦλος οὗτος, μετὰ πλειόνων δ' ἐπιεικής*. Similis formula legitur apud Dem. XXII 69. XVIII 136 = 31. 12.

I 110: *ταμίας ἦν τῶν τῆς θεοῦ Ἡγήσανδρος [ὁ Κρωβύλου ἀδελφός], ἔκλεπτον δὲ τῆς πόλεως κοινῇ καὶ μάλα φιλεταίρως χιλίας δραχμάς*. Iam diu auditoribus notum erat Hegesandrum Crobyli fratrem fuisse. Quid igitur tam multis verbis opus est? An ut oratio obscuretur, quasi fratres nequissimi, non Hegesander cum Timarcho peculatum fecerint? Ac paulo post Pamphilus in contione denuntiat: *ἄνδρες Ἀθηναῖοι, κλέπτουσιν ὑμῶν ἀνὴρ καὶ γυνή [χιλίας δραχμάς]*. Salsum istud dictum friget, si adiecto hoc additamento facetus exitus reprimatur: *ἀνὴρ καὶ γυνή*. Nec summam argenti Athenienses mirantur sed miram societatem *πῶς ἀνὴρ καὶ γυνή*. Rem ipsam narratione persequitur Pamphilus postea: *μετὰ ταῦτα δὴ διεξήει περὶ τοῦ πράγματος κτλ.* Hic externum nobis non deest signum. Etenim in codd. A omnia interciderunt ab *θαυμασάντων* usque ad *γυνή*. Hoc factum est videlicet, quod duae sententiae pariter ac similiter desierant in verbum *γυνή*. Inde apparet ne in archetypo quidem in ipso versu exstitisse scriptum *χιλίας δραχμάς*, sed hoc supra lineam additum fuisse. Quare haec verba in uno codice (d) desunt, in altero (f) ante *ἀνήρ* posita sunt.

I 114: *καὶ ἐπομόσας τοὺς ὁρκίους θεοὺς καὶ ἐξώλειαν [αὑτῷ] ἐπαρασάμενος*. In codd. A: *ἐπαρασάμενος ἑαυτῷ*. Ergo deleri praestat hoc pronomen. Quod quamvis etiam III 99 reperiatur in ista formula non magis necessarium quam in dictione illa *θανάτου τιμῶμαι* cf. Dem. XVIII 142: *τί οὖν ταῦτ' ἐπήραμαι καὶ διετεινάμην οὑτωσὶ σφοδρῶς*; Eurip. Iph. Aul. 60: *ὅρκους συνάψαι δεξιάς τε συμβαλεῖν μνηστῆρας ἀλλήλοισι καὶ δι' ἐμπύρων σπονδὰς καθεῖναι κἀπαράσασθαι τάδε κτλ.*

I 117: *ὁρῶ δὲ πολλοὺς μὲν τῶν νεωτέρων προσεστηκότας [πρὸς τῷ δικαστηρίῳ], πολλοὺς δὲ τῶν πρεσβυτέρων, οὐκ ὀλίγους δὲ ἐκ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος συνειλεγμένους ἐπὶ τὴν ἀκρόασιν*. Credo iuventutem etiam ad audiendum convenisse, non modo ad iudicium adstitisse: delendum igitur *πρὸς τῷ δικαστηρίῳ*, cf. III. 11 70. 120: *παρέστηκε δὲ τὰ θύματα [τοῖς βωμοῖς]*, Xenoph. Cyr. VI 2, 13: *προεῖπε δὲ τοῖς ὑπηρέταις, καὶ ἄλλος εἴ τις βούλοιτο τῶν ὁπλοφόρων προσίστασθαι ἀκουσόμενος τῶν λόγων, μὴ κωλύειν*. Plato Lys. 207 b: *ὁ Ἱπποθάλης, ἐπειδὴ πλείους ἑώρα ἐφισταμένους, τούτους ἐπηλυγισάμενος προσέστη ᾗ μὴ ᾤετο κατόψεσθαι τὸν Λύσιν . . καὶ οὕτω προσεστὼς ἠκροᾶτο.*

I 119: *καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἡ βουλὴ πωλεῖ τὸ πορνικὸν τέλος· καὶ τοὺς πριαμένους [τὸ τέλος] οὐκ εἰκάζειν κτλ.* Additamentum istud codicum variatione satis convincitur.

I 121: *ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τέθραμμαι μὲν ἐκ παιδὸς καὶ μειρακίου παρ' ὑμῖν*. Codd. A: *μεθ' ὑμῶν*, rectius credo. Nec enim Timarchus in iudicum oculis, sed una cum plerisque iudicum educatus fuerat. Diversum est quod Dem. XVIII 10 dicit: *οὐ γὰρ ἄλλοθί που βεβίωκα ἢ παρ' ὑμῖν*, nam vitam quidem degerat apud Athenienses, i. e. in urbe. Prorsus simile est [Dem.] XXV 52: *μεθ' ὧν οἱ ζωγράφοι τοὺς ἀσεβεῖς ἐν Ἅιδου γράφουσι, μετὰ τούτων περιέρχεται.*

I 122: *μὴ γὰρ ὅτι εἰ πέπρακταί τι [μοι] τούτων, ἀλλ' εἰ δοκῶ ὑμῖν παραπλησίως βεβιωκέναι κτλ.* Variam sedem habet *μοι*, in A: *τί μοι*, in B: *μοί τι*, ipsum supervacuum certe est.

I 127 : *ἐγὼ δ' ὦ Δημόσθενες περὶ μὲν τῶν ἀναθημάτων καὶ τῶν οἰκιῶν καὶ τῶν κτημάτων καὶ πάντων ὅλως τῶν ἀφώνων πολλοὺς καὶ παντοδαποὺς καὶ οὐδέποτε τοὺς αὐτοὺς ἀκούω λόγους λεγομένους*. Molesta est coacervatio earum rerum quae pro possessoris varietate variis uti possint nominibus. Nam *οἰκιῶν* notitia in *κτημάτων* nomine continetur nec est profecto, cur proprio vocabulo efferatur. Atqui in melioribus libris (A) scriptum est *περὶ τῶν κτημάτων*. Hinc emendandum esse perspicuum est : *περὶ μὲν τῶν ἀναθημάτων καὶ περὶ τῶν κτημάτων καὶ πάντων ὅλως τῶν ἀφώνων κτλ.*

I 133 : *καὶ τὴν λεγομένην γενέσθαι φιλίαν* [*δι' ἔρωτα*] *Πατρόκλου καὶ Ἀχιλλέως ὑμνήσει*. Spurium est *δι' ἔρωτα*. Nec hominis militaris qui Timarcho adfuturus erat nec ipsius Aeschinis consilium erat de laude Achillis atque Patrocli amicitiae quicquam detrahere; *φιλίαν* vero causam et originem in *ἔρωτι* habere, Graecis quidem non opus erat affirmare, cf. 142 : *ἐκεῖνος γὰρ πολλαχοῦ μεμνημένος περὶ Πατρόκλου καὶ Ἀχιλλέως τὸν μὲν ἔρωτα καὶ τὴν ἐπωνυμίαν αὐτῶν τῆς φιλίας ἀποκρύπτεται* (lege : *ἀποκέκρυπται*). Erat igitur *ἔρως* nomen, *φιλία* res ipsa : duo nomina unius rei!

I 141 : Probabile mihi hoc videtur : *ὡς τῶν μὲν δικαστῶν ἀνηκόων* [*παιδείας*] *ὄντων, ὑμεῖς δ' εὐσχήμονές τινες προσποιεῖσθε εἶναι καὶ περιφρονοῦντες ἱστορίᾳ τὸν δῆμον*. Ut igitur illi plurima se audivisse iactant, ita iudicibus nihil paene ex vetustate accepisse exprobrare videntur. *Παιδείαν* vero in sola auditione esse positam nemo unquam dixit. Accedit quod uno quodam libro traditur : *παιδείας ἀνηκόων δικαστῶν*. Dem. XIX 312 : *τίς γάρ ἐστιν οὕτω σκαιὸς καὶ ἀνήκοος κτλ.*

I 152 Recte iudicas unice verum esse : *τοιοῦτος ἔσθ' οἷοισπερ ἥδεται ξυνών* pro *ἐστιν οἷσπερ*. Itemque corrigendum § 153. Admonet me hoc vitium Euripidis Hecub. 51 : *τοὐμὸν μὲν οὖν, ὅσονπερ ἤθελον τυχεῖν, ἔσται*. Scribendum opinor : *οἷόνπερ ἤθελον τυχεῖν*, i. e. *τοιοῦτον ἔσται οἷον αὐτὸς ἤθελον τυχεῖν*, sc. sepulturae felicitatem matris manibus sibi exoptat.

I 161 : *ἵνα ὁ μὴ παραβὰς τὰ γεγραμμένα δίκην λάβῃ* [*τῇ ψήφῳ*] *παρὰ τοῦ παραβάντος*. Inauditum est huiusmodi additamentum : ius suum quisque in civitate quidem iure discripta in iudicio videlicet repetit.

I 164 : *οὗτος δὲ ὑπερβαίνει τὰς συνθήκας*. Mirum mihi erat quod codicum scriptura damnata *παραβαίνει* corrigendum esse existimasti. Nam etsi verum est cum omnes Atticos tum Aeschinem multo saepius dicere *παραβαίνειν τοὺς νόμους*, at invenitur tamen apud Aesch. III 34 : *οὐ τοὺς νόμους μόνον ὑπερβὰς ἀλλὰ καὶ τὸν τόπον μετενεγκών*, apud Demosthenem vero in una Aristocratea idem verbum eodem prorsus modo quinque locis usurpatum exstat, 63 : *πάντας ὑπερβέβηκε τούτους* (*νόμους*) *καὶ πᾶσιν ἐναντίον εἴρηκε τὸ ψήφισμα τουτί*, 77 : *ἔτι τοίνυν πέμπτον δικαστήριον θεάσασθε οἷον ὑπερβέβηκε*, 87 : *ὑπαρχόντων τοσούτων νόμων πάντας ὑπερβάς*, 220 : *εἰ δὲ τὸ τῆς αἰτίας ὄνομα αὐτὸ γράψας „ἄν τις ἀποκτείνῃ", καὶ ὑπερβὰς τὸ „καὶ ἁλῷ φόνου" . . . καὶ πάνθ' ὅσα ἐστὶ δίκαια* [*ὑπερβὰς*] *ἀγώγιμον εἶναι γέγραφε, μὴ φενακίζεσθε ἀλλ' εὖ ἴσθ' ὅτι πάντων παρανομώτατα εἴρηκεν*, ubi altero quidem loco participium mihi eximendum videtur, quod verum esset, si pro *καὶ* Demosthenes dixisset : *εἰ δὴ πάνθ' ὅσα ἐστὶ δίκαια ὑπερβὰς κτλ.* Ceteris quidem locis *ὑπερβαίνειν* Aeschines ita adhibuit, ut consulto quidpiam se praetermittere significaret, cf. III 69, 118, 165, 213. Hanc autem actionem facile vertere posse in noxiam luce clarius est. Accedit quod *ὑπερβαίνειν τοὺς νόμους* cum alibi tum in Soph. Antig. 449, 481, 663 (667) inventum est, quibus locis vix quicquam mutari potest. Denique memorari attinet, Aeschini non modo *ὑπερπηδᾶν τὸν νόμον* in deliciis fuisse, cf. III 12, 200, 202, semel apud Dem. XXIII 73, sed etiam, si qua codicum fides est, ausum esse III 192 : *ἡλίσκοντο οἱ τὰ παράνομα γράφοντες οὐκ εἰ πάντας παραπηδήσειαν τοὺς νόμους ἀλλ' εἰ μίαν μόνον συλλαβὴν παραλλάξειαν*. Nec vero hoc credibile, Graecos homines unquam dixisse *παραπηδᾶν τοὺς νόμους*. Nam con-

temptus audaciae libidinis notio, quae in verbo *πηδᾶν* continetur, parum cum leniore vi praepositionis *παρὰ* congruere videtur. Quare hoc quidem loco reponi placet *ὑπερπηδήσειαν*, cum praesertim ex propinquo *παραλλάξειαν* praepositionum formae facile confundi potuerint. Aristocrateam autem Demosthenis quoniam attigi, coniecturam aliquam meam proponere Tibi ad iudicandum libet. Meministi enim multum multorum ingenia exercuisse § 72 : *τὸν ἁλόντα ἐπ' ἀκουσίῳ φόνῳ . . φεύγειν, ἕως ἂν αἰδέσηταί τινα τῶν ἐν γένει τοῦ πεπονθότος.* Quae ibi viri docti conmentati sunt, repetere nolo, satis est quid ipse sentiam aperire. Scribendum enim arbitror : *ἕως ἂν ἀρέσηταί τινα*, et § 77 : *μήπω τῶν ἐκβαλλόντων αὐτὸν ἠρεσμένων*, videlicet ad auctoritatem Homeri T 183 : *οὐ μὲν γάρ τι νεμεσσητὸν βασιλῆα ἄνδρ' ἀπαρέσσασθαι κτλ.* I 112 : *ὥς κέν μιν ἀρεσσάμενοι πεπίθωμεν*, Aeschyl. Suppl. 631 (H) : *τοιγάρτοι καθαροῖσι βωμοῖς θεοὺς ἀρέσονται.*

I 170 : *Δημοσθένης γὰρ ἐπειδὴ τὴν πατρῴαν οὐσίαν ἀνάλωσε, περιῄει κατὰ τὴν πόλιν θηρεύων νέους πλουσίους [ὀρφανούς].* Formulam frequentissimam *κατὰ τὴν πόλιν περιιέναι* nuper restituendam putavi pro eo quod in omnibus codicibus circumfertur *περιῄει περὶ τὴν πόλιν.* Nunc *περὶ τὴν πόλιν* falsum esse additamentum existimo : *περιῄει θηρεύων νέους* neque obscurum et fortius est, cf. Dem. IV 10. XXI 211, 204, 198, XXV 52. Veri simillimum est eodem modo emendari debere Dinarch. I 85 : *αἰσχρὸν γὰρ . . . ἑτέρους μὲν ὑπὸ τῶν Δημοσθένους ψηφισμάτων . . . ἀπολωλότας, τουτονὶ δὲ καταφρονοῦντα ὑμῶν καὶ τῶν νόμων ἀτιμώρητον [ἐν τῇ πόλει] περιιέναι,* in libris quidem *ἐν τῇ πόλει* diversam sedem habet, quo additamento eiecto vis verbi *ἀτιμώρητον* augetur. Eandemque medicinam adhibendam puto Dem. XIX 225 : *μετὰ δ' Αἰσχίνου περιέρχεται [τὴν ἀγορὰν] κύκλῳ καὶ βουλεύεται.* Ipse quidem nuper (Var. L. 510) ut antea Kleyne (Mnem. VIII 93) proposuisti ad vulgarem dicendi consuetudinem *κατὰ τὴν ἀγοράν*, sed nusquam ego *κύκλῳ* adiunctum repperi. Hoc autem ipso adverbio grammaticos, ut interpretamentum adicerent, invitatos esse probabile est.

I 172 : *Νικόδημος δ' ὁ Ἀφιδναῖος [ὑπ' Ἀριστάρχου] τετελεύτηκε βιαίῳ θανάτῳ.* Hoc nomen utique falso additum esse quicunque totum sententiarum ambitum conparaverit facile sentiet : Aristarcho Demosthenes tantae nequitiae auctor fuit, ut cum ille patria exterminatus sit, ipse tria talenta, Nicodemus vero mortem subitam invenerit. Ubinam hic locus est in extremo enuntiato Aristarchi conmemorationi? Nimirum Nicodemi mors non minus ex perdita consiliorum ratione profluxit quam Aristarchi consilium et Demosthenis conmodum. Nicodemum denique ab Aristarcho interemptum fuisse quisnam tum Atheniensium nescius erat?

I 174 : *ὥστ' οὐδ' ἀπαντήσεσθαί με [εἰς τὸ δικαστήριον] ἀπολογησόμενον ὅταν [τῆς πρεσβείας] τὰς εὐθύνας διδῶ.* Sic in codd. A, at contra in B : *ἐπὶ τὸ δικαστήριον*, deinceps : *τὰς τῆς πρεσβείας εὐθύνας.* Istae quidem rationes cuiusnam muneris essent vel pueri tum et mulierculae sciebant : iudicibus tam verbosa loquacitas molestiam attulisset. Supervacuum etiam *εἰς τὸ δικαστήριον.* Ratio autem cum augetur signis externis, utique obtemperandum est.

I 175 : *ἀλλ' ὑπολάβεθ' ὁρᾶν εἰσεληλυθότα ἀπὸ τοῦ δικαστηρίου οἴκαδε [καὶ] σεμνυνόμενον ἐν τῇ τῶν μειρακίων διατριβῇ κτλ.* Copula *καὶ* deest in optimo libro (f), ubi recentiore demum manu appicta est. Nimirum non illud indignum erat futurum, Demosthenem domum redisse, sed illum, ubi primum domum intraverit, iactabundum et gloriosum qua ipse arte iudices deceperit expositurum. Simile vitium sibi correxisse videtur Hamaker III 173 : *ἄπιστος δὲ καὶ περὶ ταῦτα δόξας εἶναι [καὶ] τοὺς λόγους ἐκφέρων τοῖς ἀντιδίκοις ἀνεπήδησεν ἐπὶ τὸ βῆμα*, sed orationem dissolutam ita consuere praestat, ut *καὶ τοὺς λόγους ἐκφέρων τοῖς ἀντιδίκοις* tamquam emblema ex II 165 inlatum prorsus eiciamus.

I 188 : *γράψει δ' [ἐν τοῖς ψηφίσμασιν] εὐχὰς ὑπὲρ τῆς πόλεως ταῖς σεμναῖς θεαῖς.* In optimis libris *ἐν* omissum est. Additamenta huiuscemodi recte se habent, ubi cogitatio subito audientium ad rei remotae recordationem revocatur, veluti Dem. Mid. 170 : *οὐδ' ἂν ἠνέσχεσθε, εἰ προσέγραψέ τις ἐν τῇ στήλῃ ἐξεῖναι δὲ καὶ κτλ.*; nam de Harmodio dixerat et Aristogitone, nihil de statua in honorem illorum in foro conlocata. At *γράψειν εὐχὰς ταῖς σεμναῖς θεαῖς* senatoriam continere dignitatem et actionem omnibus certe Atheniensibus notum erat, cf. Dem. Mid. 115 : *εἴασε μέν με εἰσιτήρια ὑπὲρ τῆς βουλῆς ἱεροποιῆσαι καὶ θῦσαι καὶ κατάρξασθαι τῶν ἱερῶν ὑπὲρ ὑμῶν καὶ ὅλης τῆς πόλεως κτλ.*

II 12 rectissime scribendum esse Tibi placuit : *ἅπαντας γὰρ [ἂν] ὑμᾶς οἶμαι τοῦτό γ' αὐτὸ μνημονεύειν.* Atque rem inchoatam ut absolvam, ex optimis codicibus reponendum iudico : *ἅπαντας γὰρ οἶμαι ὑμᾶς*, et § 84 : *καὶ ταῦτ' οἶμαι πάντας ὑμᾶς μνημονεύειν*, ubi male *ἂν* interposueram.

II 6 : *ἐπηρώτα εἰ οἷόν τ' ἐστὶν ἐν τῇ αὐτῇ πόλει Φιλοκράτους μὲν θάνατον καταψηφίσασθαι, ὅτι καταγνοὺς ἑαυτοῦ [ἀδικεῖν] τὴν κρίσιν οὐχ ὑπέμεινεν, ἐμοῦ δ' ἀπογνῶναι.* Verbum *ἀδικεῖν* codicum testimoniis paene damnatum tueri non debueram ad similitudinem Ctesiphonteae 214. Ibi enim inprobitas universa carpitur, hic *καταγιγνώσκειν* ad unum atque certum crimen pertinet, universae iniustitiae rationem non admittit, cf. Dem. XIX 212. Emblema ortum videtur ex eis quae secuntur : *εἰ γὰρ ὁ καταγνοὺς ἑαυτοῦ καὶ μὴ παρὼν ἀδικεῖ κτλ.* Paulo post dubito an Graecum non sit : *ἐγὼ δ' ἐπ' αὐτῷ τούτῳ δικαίως ἂν ὑπολαμβάνω [μάλιστα] σώζεσθαι*, quia *δικαίως* cum verbo *σώζεσθαι* coniungi debet.

II 10 : *καὶ μετὰ σπουδῆς καὶ κραυγῆς [πολλῆς] παρεκελεύσαθ' ὑμῖν φυλάξασθαι.* Codices meliores et *πολλῆς* omittunt et *διεκελεύσαθ'* praestant, quorum utrumque sequi debueram. Nam adiectivum illud Demosthenes fere semper omittit, Aeschines autem II 86 dicit *βοῆς καὶ κραυγῆς*, ubi tamen *καὶ κραυγῆς* suspicione non vacuum est. Verbum vero *διακελένεσθαι* ut rarius est ita Graecum et Atticum habetur.

II 13 : *ἐνταῦθα δὴ δίδωσι ψήφισμα Φιλοκράτης ὁ Ἁγνούσιος, [καὶ] ὁ δῆμος ἅπας ὁμογνωμονῶν ἐχειροτόνησεν.* Codices meliores quidam omittunt *καί*, legendum ergo : *ὁ δὲ δῆμος ἅπας κτλ.* Deinceps § 14 reponendum : *παρελθὼν δ' ὁ μισοφίλιππος [Δημοσθένης].* Praestat etiam § 15 dicere *κατελήφθησαν* pro vulgata *ἐγκατελήφθησαν*, quod vitium usu tritissimum est.

II 22 : *τοιαύτας ἐπιβουλὰς κατ' ἀνδρῶν συσσίτων [καὶ συμπρέσβεων].* Emblema hoc cum omnis a § 20 disputatio tum acerbum quod sequitur Demosthenis dictum arguit.

II 23 : *ἡμεῖς δὲ . . . Ἀθήνησι μὲν [ἦμεν] ἄξιοι τῆς ὑμετέρας πίστεως, οὐ γὰρ ἄν ποτε ἡμᾶς εἵλεσθε, ἐλθόντες δ' εἰς Μακεδονίαν [ἐξαίφνης] ἐγενόμεθα προδόται.* Utrumque ex codicum ratione suspectum *), *ἦμεν* vero certo falsum est. Nec enim an fuerint fide digni agitur sed potius an Athenienses hanc opinionem habuerint. Quare utroque additamento eiecto emendari placet : *ἐλθόντες δ' εἰς Μακεδονίαν ἐφαινόμεθα προδόται.* Ac simili studio perspicuitatis intulerunt [Dem.] XXVI 3 *παρεσκεύασεν* vel *κατεσκεύασεν* verbum.

II 31 : *καὶ πάντων ὧν εἴποιμι μάρτυρας τὰς ἐκείνων ἐπιστολὰς παρειχόμην καὶ τὰ ψηφίσματα κτλ.* Sequi debueram meliorum librorum auctoritatem, qui *μαρτυρίας* praebent, unde nescio an *μαρτυρίαν* eliciendum videatur, cf. Plat. Symp. 179 b.

---

*) Fortasse *ἐξαίφνης* factum est ad auctoritatem Dem. XIX 302 : *ηὐτομόλησε καὶ προὔδωκε καὶ γέγονεν ἐξαίφνης ὑπὲρ Φιλίππου.*

II 34 : *καὶ γὰρ πρὸς αὐτὸν τὸν φίλιππον καὶ πρὸς τοὺς ἑταίρους [αὐτοῦ] ἐξήγγελτο ἡ τῶν ἐπαγγελιῶν ὑπερβολή.* Satis est opinor *πρὸς τοὺς ἑταίρους*, pronomen *αὐτοῦ* incertam in codd. sedem habet.

II 35 : *ὁ δ' ὡς ἅπαξ ἐταράχθη καὶ τῶν γεγραμμένων διεσφάλη, οὐδ' ἀναλαβεῖν [ἔτι] αὐτὸν ἐδυνήθη.* Vitiosum est *ἔτι*, omnis soni ictus cadit in *οὐδ' ἀναλαβεῖν*.

II 41 : *ἐμοὶ δὲ παρακολουθῶν καὶ τὴν φύσιν μακαρίζων [καὶ τοὺς λόγους οὓς εἶπον ἐγκωμιάζων] πολὺς ἦν ἐν τοῖς ἐπαίνοις καὶ ἐπαχθής.* Codices meliores omittunt hanc interpretationem, recte opinor, quia orationum praedicatio in laudibus ingenii ipsis continebatur.

II 44 : *ἐὰν δέ μοι τῷ κινδυνεύοντι εἰπεῖν δῶτε ὡς βούλομαι, καὶ σῶσαί με εἰ μηδὲν ἀδικῶ δυνήσεσθε, ἱκανὰς εἰληφότες ἀφορμάς, καὶ θεάσασθαι ἐκ τῶν ὁμολογουμένων τὰ ἀντιλεγόμενα.* Conplexionem istam sententiarum intricatam et obscuram sic explicari et constitui posse existimo : *ἐὰν δέ μοι . . εἰπεῖν δῶτε ὡς βούλομαι, καὶ σῶσαί μ', ἂν μηδὲν ἀδικεῖν δοκῶ, δυνήσεσθε, ἱκανὰς εἰληφότες ἀφορμὰς θεάσασθαι ἐκ τῶν ὁμολογουμένων τὰ ἀντιλεγόμενα.*

II 49 : *οὐδὲν γὰρ εἶναι ῥᾷον [ἢ πρεσβείαν ἀπαγγεῖλαι].* Omittunt meliores libri *ἤ*, fraudem sciolorum patefacturi. Verba enim *οὐδὲν εἶναι ῥᾷον* pertinent ad malam illam rhetorum consuetudinem, qui *ἀποδιατρίβουσι τὴν ὑπερόριον λαλιὰν ἀγαπῶντες ἐν τοῖς οἰκείοις πράγμασιν.*

II 51 : *καὶ σκέψασθε δέ, ἔφη, ὡς συντόμως καὶ τἆλλα [πάντα] ἀπαγγελῶ.* Emblema hoc coarguit Ad, pro *δὲ* autem *δὴ* scribi debet, cf. Frohberger Lys. vol. III p. 188.

II 137 : *τῶν δ' ἑταίρων τινὲς τῶν Φιλίππου οὐ διαρρήδην πρός τινας ἡμῶν ἔλεγον κτλ.* In tanta causa et periculo Aeschini magis expediebat dicere id quod in optimo libro servatum est : *πρὸς ἡμᾶς ἔλεγον.*

II 146 : *ἅμα γὰρ ταῖς αἰτίαις ταύταις φανῆναί με δεῖ θηριώδη κτλ.* Libri Af *ἔδει*, optime sane. Nam tum cum *ᾐτιᾶτο ὁ διώκων αὐτὸν προδότην*, simul reum feritatis speciem prae se ferre oportebat. Repone igitur : *φανῆναί μ' ἔδει.* Cf. Dem. XIX 279 : *ἀλλὰ μὴν ὑπέρ γε τοῦ δῶρα εἰληφέναι, εἰ μὲν ἠρνοῦντο, ἐξελέγχειν ἂν ἦν λοιπόν, ἐπειδὴ δ' ὡμολόγουν, ἀπάγειν δήπου προσῆκεν.*

II 33 : *εἰ δ' ἀντιποιεῖ κατὰ πόλεμον λαβὼν εἰκότως ἔχειν κτλ.* Hoc vero mendosum esse et postulare loci sententiam dicendi verbum, veluti *εἰ δ' ἀντιλέγεις* verissime Tu nuper sensisti. At nescio an lenius adhiberi possit remedium. Quid enim iudicaveris, si ego hoc proponam : *εἰ δ' ἀντιποιεῖ ὡς κατὰ πόλεμον λαβὼν εἰκότως ἔχων?* Cf. Dem. IV 6.

II 36 : *ἤρετό με εἰ τῶν Ἀθήνησι πραγμάτων ἐπιλέλησμαι, καὶ τὸν δῆμον καταπεπονημένον καὶ σφόδρα ἐπιθυμοῦντα τῆς εἰρήνης εἰ μὴ μέμνημαι.* Haec extrema verba *εἰ μὴ μέμνημαι* ab eo addita putas, qui simul genetivum et accusativum ab *ἐπιλέλησμαι* pendere miraretur. Sed cum in optimis libris (A) *οὐ μέμνημαι* scriptum sit, particulas autem *εἰ* et *ὅτι* persaepe inter se permutatas esse optime noveris, vix facere possum quin scribendum esse censeam : *ὅτι οὐ μέμνημαι.* Nam ex *ἤρετο* facile suppletur *conmemorandi* vel *reprehendendi* verbum. Concedo tamen hanc coniecturam admodum dubiam esse.

II 43 : *ταῦτα μέντοι, ἔφη, ὦ Κτησιφῶν οὔτ' ἂν σὺ [πρὸς τὸν δῆμον] εἴποις οὔτ' ἂν οὗτος, ἐμὲ δὴ λέγων, τολμήσειεν εἰπεῖν πρὸς Ἀθηναίους [ὡς ὁ Φίλιππος δεινὸς εἰπεῖν καὶ μνημονικός].* Verba inclusa Tu nuper deleri inperasti. Ego nescio an melius et facilius sic illa oratio emendetur : *οὔτ' ἂν σὺ πρὸς τὸν δῆμον εἴποις οὔτ' ἂν οὗτος . . τολμήσειεν*, reliquis additamentis exterminatis.

II 61 : *προγράψαι δύο ἐκκλησίας, τὴν μὲν τῇ ὀγδόῃ ἐπὶ δέκα, τὴν δὲ τῇ ἐνάτῃ ἐπὶ δέκα.* Resecanda ceuses altero loco *ἐπὶ δέκα*. Ego si quidquam mutaverim, malim ista verba deleri superiore loco. Sed in publicarum rerum conmemoratione praestat opinor conservari morosam

illam dictionis diligentiam. Ceterum paulo post satius videtur ex optimis libris reponere : *ὑπὲρ [τῆς] εἰρήνης μόνον ὑμᾶς βουλεύσασθαι, Δημοσθένης δὲ καὶ περὶ συμμαχίας κελεύει*, cf. codicum varietates § 76.

II 75 Optime delevisti *κελεύων*, cuius corruptelae origo arguitur § 76, ubi pro *ἦν* in compluribus libris *λέγων ἦν* scriptum est. Similiter I 41 pro *ἔχων* in A legitur in ceteris libris *ἔχειν εἰωθώς*, I 45 pro *οὐδ' ἄλλο οὐδὲν* in codd. commendatur *οὐδ' ἄλλο γέγραφα οὐδὲν*, paulo post pro *ἀκίνδυνα δὲ τῷ μαρτυροῦντι καὶ μὴ αἰσχρά* legitur in B : *καὶ μὴ τῷ μαρτυροῦντι αἰσχρά*, I 53 pro *ἑορακέναι* legitur in BM : *ἑωρακέναι ἃ λέγω*; simile vitium III 15 iam dudum sustulisti, nunc permulta huiusmodi additamenta in priore parte Timarcheae a Te sublata esse laetor.

II 76 : *καὶ τὴν τελευταίαν ἀβουλίαν ὅθ' ἡττημένοι τῷ πολέμῳ, προκαλουμένων αὐτοὺς Λακεδαιμονίων εἰρήνην ἄγειν.* Eiciendum ibi censes *αὐτούς*, vitium sane usu admodum tritum. Quid autem, si legatur : *προκαλουμένων αὐτῶν τῶν Λακεδαιμονίων*, aut saltem *προκαλουμένων τῶν Λακεδαιμονίων*?

II 8 : *διατετέλεκέ γ' εἰς ἡμᾶς ὑβρίζων καὶ λοιδορίας ψευδεῖς οὐκ ἐμοὶ μόνον λοιδορούμενος ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις.* Quo loco nescio an parum feliciter ex libris quibusdam deterioribus recepisti : *ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐμοῖς.* Nam contumeliae illae quidem ceterorum legatorum per totam Demosthenis orationem dispersae reperiuntur, non item propinquorum et consanguineorum Aeschinis. Atque cum *δὲ* vel *γὰρ* particulam inmutaverim in *γ'*, nihil credo iam causae est, cur *τοῖς ἄλλοις* falsum esse putemus. Immo quae antecedit de Demosthenis gloria ceterorumque legatorum contemptione sententia tam gravis tam acerba est, ut mirum esset, nisi tantae acerbitatis causa vel exemplum demonstrativum subiceretur.

II 12 : *ἐπειδὴ δ' ἐπανῆλθε* (sc. Phrynon) *λυτρωθείς, ἐδεῖτο ὑμῶν πρεσβευτὴν αὐτῷ πρὸς Φίλιππον ἑλέσθαι κτλ. — πεισθέντες δ' ὑμεῖς προσείλεσθ' αὐτῷ Κτησιφῶντα πρεσβευτήν.* Tu cum vidisses admirabili editorum inconstantia uno loco unum legatum missum esse altero repente loco duos legatos exstitisse, syllabam excidisse ratus corrigere voluisti : *προσελέσθαι.* At codicum testimonium cum ratione mecum sequere : iam quid voluerit Aeschines dicere facillime senties. Deleta enim praepositione scribendum est altero loco : *πεισθέντες δ' ὑμεῖς εἵλεσθ' αὐτῷ*, id quod in melioribus codicibus (A) scriptum exstat. Atque unum Ctesiphontem, non plures legatos, ad Philippum missum esse non modo ex § 15 apparet : *καὶ πέμπουσι πρεσβευτὴν Ἀριστόδημον τὸν ὑποκριτὴν πρὸς Φίλιππον*, sed etiam parum consentaneum est, Phrynonem rem suam ac privatam gesturum simul publicam potuisse auctoritatem tueri. Immo privatus homo suum negotium ita apud Philippum defensurus erat, ut publica simul auctoritate adiuvaretur, quia ipsius causa simul ad rempublicam pertinere videbatur. Nam a piratis captus *ἐν ταῖς σπονδαῖς* non debuerat cogi suam sibi libertatem redimere. Poterat etiam publicus legatus publicam hanc causam tueri, cum Phrynonis praesentia ad controversiam dirimendam uteretur. Sed utut est, non Phryno, sed unus Ctesipho legationem ad Philippum subiit.

II 21 : *πηγὰς δὴ λόγων ἀφθόνους ἐπηγγέλλετο.* Sic ego hunc locum constitueram eiecto infinitivo *ἔχειν*, cum variam in variis codicibus sedem haberet. Nec enim huiuscemodi infinitivum necessarium esse elucet ex § 156 : *τὰς δ' ἀνοσίους ταύτας τέχνας πρὸς τοὺς νέους ἐπαγγέλλεται νυνὶ κατ' ἐμοῦ.* Nunc a Te video infinitivum illum quidem servatum, at eiectum adiectivum *ἀφθόνους*, quia *copiae* et ubertatis notio multo melius inesse videatur in *πηγαί*. Equidem sic statuo : Demosthenem non modo fontes aut copiam, sed *perennes* fontes et *inmensam* orationis ubertatem promisisse.

II 115 : *ἐάν τις ἢ συλᾷ τὰ τοῦ θεοῦ ἢ συνειδῇ τι ἢ βουλεύσῃ τι.* Concedo ibi praeter veterum consuetudinem repetitum esse *τι.* At quoniam *κατὰ τῶν ἱερῶν*, quod additamentum ego expuli, sine illo *τι* vix quomodo fingi potuerit cogitari potest, haud absonum videtur hunc locum sic emendare : *ἢ συνειδῇ τινι ἢ βουλεύσῃ τι.*

II 117 : *οὓς δ' ἐγκαταλείψεις, ἀδικήσας χρήσει ἐχθροῖς μείζοσιν, ἀλλ' οὐ φίλοις.* In libris est certe *ἀδικήσεις.* Mihi Lobeckii coniectura amplectenda videbatur : *ἀδικήσας.* Qua ratione membrorum concinnitatem recte nunc arguis violatam esse. Hoc mendum sublatum erit, si scripseris : *οὓς δ' ἐγκαταλείψεις | ὡς ἀδικήσας | χρήσει ἐχθροῖς | ἀλλ' οὐ φίλοις.* Ita nascuntur quattuor incisa. Nec supervacaneum est participium cum opinionis notione coniunctum. Re vera enim si Thebanorum arma a Philippo adiuventur, iniuriam sibi inlatam Atheniensibus queri non licet. At contra concinnitatem orationis vehementer turbavit adiectivum *μείζοσιν.*

II 126 : *ἄγω δὲ καὶ τοὺς οἰκέτας καὶ παραδίδωμι εἰς βάσανον· καὶ τὸν μὲν λόγον, εἰ συγχωρήσει [ὁ κατήγορος], καταλύσω.* Praeter illa, quae egregie a Te emendata recipienda duxi, simul proposuisti *συγχωρήσεται ὁ κατήγορος*, quia Athenienses *συγχωρήσομαι*, non *συγχωρήσω* dixerint. Ita vero est. Quid autem si fingamus Aeschinem orationem ad accusatoris suggestum convertisse? Tum subito futurum additamento eiecto integrum evadet!

II 136 : *ἀλλ' οὗτος μόνος τὸ συμβησόμενον ἠγνόει, ὑμεῖς δ' αὐτοὶ δημοσίᾳ πῶς διέκεισθε;* Ego aut egregie fallor, aut scribere debui *οὐκ ἠγνόει.* Nam Athenienses cuncti et unus Demosthenes inter se opponuntur. Illi autem omnes, qualis rerum eventus futurus esset, ignorabant, Demosthenes videlicet unus non ignorabat, sed omnia quae postea re facta sunt, consilio et oratione providerat. Hanc ipsam sapientiam inludit Aeschines. Praeterea contrariorum vehementia carere non potest particularum *μὲν — δὲ* oppositione. Quae cum ita sint, ego proponere audeo: *ἀλλ' οὗτος μὲν οὐ τὸ συμβησόμενον ἠγνόει κτλ.* Etenim *μόνος* falsum esse elucet ex oppositae interrogationis pronomine *αὐτοί.* Atque *μὲν* et *μόνον* scripturae similitudine permutata ipse olim deprehendisti I 36 : *καλοὶ μὲν κύριοι δ' οὐκέτι*, ubi in libris mscr. exstat : *καλοὶ μόνον.*

II 131 : Cunctanter propono hanc leniorem medelam : *τὰ δ' ἐν Φωκεῦσι διεφθάρη πράγματα πρῶτον μὲν τῇ τύχῃ, ἣ πάντων ἐστὶ κυρία, ἔπειτα διὰ τὸ μῆκος τοῦ χρόνου.* Nam quod decennalis belli molestam removisti conmemorationem vel potius explicationem ad temporis notitiam adiectam, ego lubens laetus probo.

II 145 : *εὖ δ' ἴστε, ὅτι πλεῖστον διαφέρει φήμη καὶ συκοφαντία, φήμη μὲν γὰρ οὐ κοινωνεῖ διαβολῇ, διαβολὴ δ' ἀδελφόν ἐστι καὶ συκοφαντία.* Proposuisti Tu iterum quod Herwerden coniecerat : *διαβολὴ δ' ἀδελφόν ἐστι συκοφαντίᾳ.* Ego vero in archetypo libro scriptum fuisse

διαβολή συκοφαντία συκοφαντία

existimo : *συκοφαντία δὲ ἀδελφόν ἐστι.* Inde natum esse veri simile est : *διαβολὴ δὲ ἀδελφόν ἐστι.* Quo facto trascriptum et correctum est : *διαβολὴ δὲ ἀδελφόν ἐστι καὶ συκοφαντία.* Quare scribendum videtur : *συκοφαντία δὲ ἀδελφόν ἐστι.* Hanc unam opinor lectionem convenienter expressam esse ad partitionem illam quam supra Aeschines proposuit : *πλεῖστον διαφέρει φήμη καὶ συκοφαντία.* Utriusque enim notionis definitio denuntiatur; huius autem adminiculum conmune (*διαβολή*) extrinsecus adsumitur : ideo nusquam nisi in medio poni potuit. Eandemque disserendi rationem in simili causa observavit Dem. XXII 22 : *πάμπολυ λοιδορία τε καὶ αἰτία κεχωρισμένον ἐστὶν ἐλέγχου· αἰτία μὲν γάρ ἐστιν, ὅταν τις ψιλῷ χρησάμενος λόγῳ μὴ παράσχηται πίστιν ὧν λέγει, ἔλεγχος δέ, ὅταν ὧν ἂν εἴπῃ τις καὶ τἀληθὲς ὁμοῦ δείξῃ.*

II 148 : *σὺ δ' ὁ ἀμφισβητῶν ἀνὴρ εἶναι, οὐ γὰρ ἂν τολμήσαιμι εἰπεῖν [ὡς ἀνὴρ εἶ], ἐγράφης λιποταξίου.* Miram istam loquacitatem removebit auctoritas codicum Af, in quibus saltem *εἶ*

abest. Hinc apparet, ad verba illa *οὐ γὰρ ἂν τολμήσαιμι εἰπεῖν* a grammatico quodam tamquam interpretamentum adscriptum esse *ὡς ἀνήρ*, hoc autem additamentum a ceteris deinceps grammaticis ad perfectam videlicet enuntiationem expletum esse. Ac veri simile etiam est § 147 sententiam illam loco incertam *συγκατάγειν δὲ τὸν δῆμον ὥσπερ καὶ ὀλίγῳ πρότερον εἶπον* fictam esse ad laudem illam qua § 78 Aeschines patrem extulit *ἔφυγε μὲν ἐπὶ τῶν τριάκοντα συγκατήγαγε δὲ τὸν δῆμον.*

Π 153: *σκέψασθε γὰρ ἀφροσύνην καὶ ἀπαιδευσίαν τἀνθρώπου, ὃς τοιοῦτον ἔπλασε τὸ περὶ τὴν Ὀλυνθίαν γυναῖκα ψεῦδος κατ' ἐμοῦ, ἐφ' ᾧ μεταξὺ μὲν λέγων ὑφ' ὑμῶν ἐξερρίφη.* Concedo Tibi, quod Hirschigius commendaverat *ἐπλάσατο*, recipere me debuisse. At miror Te non magis me ipso sensisse, insititia esse ista : *τὸ περὶ τὴν Ὀλυνθίαν γυναῖκα ψεῦδος.* Nam hoc additamentum stare non potest, nisi pronomen praedicativum *τοιοῦτο* aut *ὥστε* aut *ἐφ' οἵῳ* subsequatur cum infinitivo. Est igitur hoc emblema resecandum. Ipsius rei accuratam memoriam iam audivimus § 4, ubi verba *καὶ τὸ γένος Ὀλυνθίαν* servare malim.

Π 177 : *εἰς τοὺς ἐσχάτους ἡμῶν κινδύνους τὴν πόλιν καθιστᾶσι.* Mirifica ista traiectione sublata et ordine verborum simplici reposito scripsisti : *εἰς τοὺς ἐσχάτους κινδύνους τὴν πόλιν ἡμῶν καθιστᾶσι.* Cur autem Atheniensium rempublicam proprio verbo efferendam putavit, quasi aliorum civitatibus contraria opponi deberet? Omnibus quae paulo ante disseruit, de una Atheniensium republica agitur. Cum autem saepe numero in Aeschinis codicibus *ἡμῶν* et *ἡμῖν*, *ὑμῶν* et *ὑμῖν* permutata esse videam, cf. meae ed. p. 126, 4, nihil ego iam dubito quin restituam : *εἰς τοὺς ἐσχάτους ἡμῖν κινδύνους τὴν πόλιν καθιστᾶσι.*

Π 152 : *ποίων κρατηθεὶς ἡδονῶν*; Ibi rectius proposuisti : *ποίων ἡττηθεὶς ἡδονῶν.* Sed fortiorem vulgatae orationem tuebimur, si praepositione praeposita scribamus : *ὑπὸ ποίων κρατηθεὶς ἡδονῶν*; Similem in modum similem sententiam extulit Aeschines 1 42 : *ὑφ' ὧν οὐδενὸς κρατεῖται τὸ γενναῖον καὶ ἐλεύθερον*, ubi temere nuper edidi *ἐλευθέριον.*

Aeschinem lectitare et emendare non licet nisi simul cum alias Demosthenis orationes tum ipsam Aeschinis accusationem accuratius pertractaveris. Inde factum est, ut mihi Demosthenicae aliquot emendationes subnascerentur, quas quantum ad XIX orationem pertinent Tecum communicare aequum est. Haud pauca enim commentatus sum Tuo nuper spicilegio erectus ac delectatus.

§ 6 : *καὶ μὴν περὶ ὧν γε προσετάξατ' εἰπεῖν ἢ πρᾶξαι καὶ διαρρήδην ἐψηφίσασθε [ποιῆσαι], προσήκει διωκηκέναι.* Verbum *ποιῆσαι* prorsus supervacuum adscripsit, qui *διοικεῖν* cum *εἰπεῖν ἢ πρᾶξαι* discrepare ratus haec ipsa verba explicare studeret, cf. § 8. 37.

§ 36 : *καὶ μετὰ ταῦτ' ἀνεγιγνώσκετο ἡ ἐπιστολὴ ἡ παρὰ τοῦ Φιλίππου, ἣν οὗτος ἔγραψεν ἀπολειφθεὶς ἡμῶν, ἄντικρυς οὕτως [καὶ διαρρήδην] ἀπολογία γεγραμμένη τῶν τούτοις ἡμαρτημένων.* Satis erat *ἄντικρυς οὕτως*, cf. Herodian. II 831 (L.) : *τὸ μὲν γὰρ ἄντικρυς τὸ φανερῶς σημαίνει.* Qui autem mentem suam *haud perplexe* aperuisse dicitur, eum haud facile simul *diserte* locutum quae senserit praedicari potest.

§ 37 : *ἀλλ' ὑπὲρ μὲν ὧν παρὰ τούτων ὑμᾶς ἔδει δίκην λαμβάνειν οὐ πεποιηκότων [οὐδὲ διῳκηκότων] οὐδὲν ὧν ὑμεῖς προσετάξατε [ἐν τῷ ψηφίσματι], ἐκεῖνος ἐκδέχεται τὴν αἰτίαν.* Utrumque additamentum concinnitatem orationis dissolvit, rhetoricae amplificationi locus est nullus.

§ 51 : *ἀλλ' ἵνα ἃ ἐβούλεσθε οἰόμενοι πράξειν αὐτὸν μηδὲν ἐναντίον ψηφίσαισθε αὐτῷ [μηδ' ἀμύναιντο], μηδ' ἀντέχοιεν οἱ Φωκεῖς ἐπὶ ταῖς παρ' ὑμῶν ἐπανέχοντες ἐλπίσιν.* Rhetorica figura (*ἀντέχοιεν — ἐπανέχοντες*) satis ostendit interpretandi studio, non rhetoris consilio *ἀμύναιντο* ortum esse.

§ 53 : *οἱ μὲν τοίνυν Φωκεῖς, ὡς τὰ παρ' ὑμῶν ἐπύθοντο ἐκ τῆς ἐκκλησίας* [*καὶ τό τε ψήφισμα τοῦτ' ἔλαβον τὸ τοῦ Φιλοκράτους καὶ τὴν ἀπαγγελίαν ἐπύθοντο τὴν τούτου καὶ τὰς ὑποσχέσεις*], *κατὰ πάντας τοὺς τρόπους ἀπώλοντο.* Demosthenes credo tam infans erat, ut neque rotundam sententiam concludere nec orationem variis verbis inlustrare posset, sed idem verbum eandemque eiusdem temporis formam repetere cogeretur!

§ 61 : *ἔτι τοίνυν τὸ μηδεμίαν τῶν πόλεων* [*τῶν ἐν Φωκεῦσι*] *ἁλῶναι πολιορκίᾳ μηδ' ἐκ προσβολῆς* [*κατὰ κράτος*]. De Phocensibus ipsis dixerat Demosthenes. Quo igitur nominis eorum repetitionem factam esse putabimus? Idem vitium § 325, 316, 307, 285 sublatum esse video. Pertinet huc etiam 286 : *λέγε δή μοι τὸ ψήφισμα λαβὼν αὐτὸ* [*τὸ τοῦ Τιμάρχου*]. Hunc in modum emendaverim Din. I 79 : *λέγε δὴ τὸ καλὸν ψήφισμα* [*τούτου*], ibid. 92 : *οὐδὲ προσδεκτέον τοὺς οἴκτους καὶ τοὺς φενακισμοὺς* [*τούτου*]· *ἱκανὴν γὰρ εἰλήφατε πεῖραν αὐτοῦ καὶ τῶν λόγων* [*καὶ τῶν ἔργων*] *καὶ τῆς τύχης*, cf. codicum variationem.

§ 66 : *πῶς γὰρ οὐκ αἰσχρόν, τοὺς σεσωκότας ἡμᾶς τότε* [*καὶ*] *τὴν σώζουσαν περὶ ἡμῶν ψῆφον θεμένους, τούτους τῶν ἐναντίων τετυχηκέναι διὰ τούτους.* Nihil hoc vitio vulgarius. Phocenses suffragio salutari lato Atheniensium exstiterunt conservatores. Hoc voluit dicere Demosthenes, id quod ex aoristo tempore perfectis subiecto facile intellegitur. Cf. Aesch. I 47. 175.

§ 78 : *ἤδη εἰρήνης γεγονυίας . . τέτταρας μῆνας ὅλους ἐσώζοντο οἱ Φωκεῖς* [*τοὺς ὕστερον*], *ἡ δὲ τούτου ψευδολογία μετὰ ταῦθ' ὕστερον αὐτοὺς ἀπώλεσεν.* Quanto differt hoc additamentum a § 177, ubi in multis libris exstat : *οἵοις μὲν τοίνυν κακοῖς καὶ πράγμασι* [*κατὰ*] *τὴν ἀποδημίαν πᾶσαν συνειχόμην*?

§ 83 : *καὶ τὸ μηδέποτ' ἂν ἐλθεῖν εἰς Πελοπόννησον μηδ' εἰς Εὔβοιαν μηδ' εἰς τὴν Ἀττικὴν Φίλιππον* [*μηδὲ Θηβαίους*]; De Thebanis paulo supra dictum erat : *τίς γὰρ οὐκ οἶδεν ὑμῶν ὅτι τῷ Φωκέων πολέμῳ καὶ τῷ κυρίους εἶναι Πυλῶν Φωκέας ἥ τε ἀπὸ Θηβαίων ἄδεια ὑπῆρχεν ἡμῖν*, nunc unius Philippi periculum memoratur. Quod nisi ita esset, rerum distributio per particulas *τὲ — καὶ* facta insana esset. Simile sciolorum emblema excerpendum est § 334 : *τὶς Μέγαρα πρῴην ὀλίγου*; [*τὶς Θηβαίους ἰσχυρούς*]; Demosthenes temporum ibi rationem secutus bellicas quasi calamitates enumeravit non a praetoribus sed per legatos acceptas. Thebanorum imperium hanc in rationem non cadit.

§ 85 : *πῶς ἂν οὖν ὑβριστικώτερον ἄνθρωπος ὑμῖν ἐχρήσατο*; Lege : *ἅνθρωπος*. Non quilibet homo, sed unus Aeschines notatur.

§ 90 : *ἡ μὲν ἡμετέρα (πραγμάτων κατασκευή) πραθεῖσα ὑπὸ τούτων ἀπόλωλε* [*καὶ γέγονεν ἀσθενής*], *ἡ δ' ἐκείνου φοβερὰ καὶ μείζων πολλῷ.* Quod periit, infirmum esse dici non potest. Veritatem vero amplexus si sententiae ratione neglecta Demosthenes hoc dicere voluisset, concinnitas orationis flagitabat *ἀσθενεστέρα*.

§ 100 : *εἰρήνη μὲν οὖν δι' ἐκείνους, ἐπικίνδυνος δὲ* [*καὶ σφαλερὰ*] *καὶ ἄπιστος διὰ τοῦτον γέγονε.* Quid *σφαλερὰ* significet aliud quam *ἐπικίνδυνος*, equidem non comprehendo. Alterum alterius interpretamentum est, utrumque simul repositum vim orationis ac vehementiam infirmabit.

§ 102 : *τοσοῦτ' ἀπέχω τοῦ συκοφαντίαν τινὰ τοῖς πράγμασι τούτοις προσάγειν.* Graeci constanter dixerunt *ὀλίγου μικροῦ πολλοῦ τοσούτου δέω ποιεῖν τι*, at contra *τοσοῦτον ἀποδέω* vel *ἀπέχω τοῦ ποιεῖν τι.* Hanc normam vel Plutarchus secutus est. Quid quod Galenus XIV 601 (K) recte dixit *καὶ τοσοῦτον ἀποδεῖ τοῦ θαυμάζεσθαι παρ' αὐτοῖς ὁ προειπών*? Quousque ergo tolerabitur apud Dinarch. I 31 *τοσοῦτον ἐδέησεν ὁ δημαγωγὸς . . πρᾶξίν τινα προφέρειν*, praesertim cum idem orator II 18 attice dixerit : *τοσοῦτον δ' ἀπολέποιπε τοῦ πατρὸς μνῆμά τι*

ἔχειν δεῖξαι. Atque etiam in Galeni de med. phil. (I 54 K) nuper Jw. Müller corrigere debuerat ita : *οἱ δὲ νῦν ἰατροὶ τοσοῦτον ἀποδέουσι τοῦ ἠσκῆσθαι κατ' αὐτήν.*

§ 106 : *ἀνάγκη δήπου τοὺς λόγους τούτους [Αἰσχίνην] πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν τουτονὶ κτλ.* Nomen a pronomine diiunctum stare non potest.

§ 138 : *τί καὶ ποιήσῃ; ζητῇ πόλλ' ἀναλίσκειν ἐξὸν ἐλάττω, καὶ πάντας θεραπεύειν [βούληται] δυ' ἢ τρεῖς ἐξόν;* Non modo concinnitatem laedit istud additamentum, sed omnes interrogationis acerbissimae nervos concidit, cf. Aesch. III 205.

§ 150 : *ἠξίουν ὑμᾶς ἐγὼ [καὶ τούτοις ἔλεγον] πλεῖν τὴν ταχίστην ἐφ' Ἑλλησπόντου κτλ.* Quasi vero Athenienses omnes legationem subituri fuerint, ita loquitur Demosthenes. Sed orationem istam ex § 154 *ἀλλὰ τότ' εὐθὺς ἐγνώκειν καὶ προεωρώμην ὑπὲρ ὑμῶν καὶ τούτοις ἔλεγον* depravatam esse dubitari vix potest. Quod cum ita sit, proponere audeo haec : *ἠξίουν ἡμᾶς ἐγὼ πλεῖν τὴν ταχίστην κτλ.*

§ 166 : *ἐγὼ μὲν τοίνυν τοὺς αἰχμαλώτους ἀνασώζειν καὶ ζητεῖν, καὶ παρ' ἐμαυτοῦ τε χρήματ' ἀναλίσκειν καὶ Φίλιππον ἀξιοῦν ὧν ἡμῖν ἐδίδου ξενίων τούτους λύσασθαι.* Proposuisti nuper *ἀναζητεῖν καὶ σώζειν.* Atque *σώζειν* verum esset, nisi *ἀναλίσκειν ἀξιοῦν λύσασθαι* sequerentur, quibus verbis ipsa illa notio circumscribitur, cf. § 338, quem locum praeclare emendasti.

σώζειν

Quare ego conicio antiquitus in libro quodam fuisse *ἀναζητεῖν*, unde natum est *ἀνασώζειν καὶ ζητεῖν.*

§ 178 : *τῇ μὲν τῶν συμμάχων ἀντειπόντα εἰρήνῃ τῇ δὲ Φιλοκράτους συναγορεύσαντα.* Quidni *συνειπόντα*? Aoristum quidem et futurum verbi *ἀγορεύειν* Attici aspernabantur. Sed lacuna Demosthenis orationem adfectam existimo male temptata. Hoc ostendit sequens membrum quod cum ceteris parum copulatum et coniunctum est. Deinceps proponere placet : *προδεδωκότα πάντα [πεπρακότα] δῶρα ἔχοντα οὐδὲν ἐλλελοιπότα μοχθηρίας.*

§ 181 : *καίτοι τούτων οὐδενὸς ἂν [τῶν ψηφισμάτων] ἔδει, εἰ πλεῖν οὗτος ἤθελε.* Quasi vero aes Atheniensibus conpendi facturus Demosthenes *τῶν ψηφισμάτων* addidisset! Rerum vim acrius intendit solum pronomen.

§ 183 : *μηδ' ἀνάσχησθε ὡς οὐ δεῖ δίκην ὧν εἶπεν ὑποσχεῖν. τίνος γὰρ ἄλλου δεῖ δίκην παρὰ πρέσβεων [ἢ λόγων] λαμβάνειν; εἰσὶ γὰρ οἱ πρέσβεις οὐ τριήρων οὐδὲ τόπων . . . κύριοι ἀλλὰ λόγων καὶ χρόνων.* Dicere potuerat *ἢ λόγων*, nisi sequeretur in explicativo enuntiato *ἀλλὰ λόγων.* Nunc vitium manifestum est.

§ 185 : *ὑμῖν δὲ πρῶτον μὲν τὴν βουλὴν ἀκοῦσαι περὶ πάντων [καὶ προβουλεῦσαι δεῖ] κτλ.* Circumscriptioni rei notissimae Demosthenes rem ipsam proprio verbo subiecisse verisimile non est.

§ 209 : Concinnitas orationis postulare mihi videtur *ἄγχειν ποιεῖ.* Ad infinitivum *ἄγχειν* antiquitus iam *σιωπᾶν* adscriptum est.

§ 210 : *τούτων μὲν τοίνυν οὐδὲν [εἶπεν] οὐδ' ἐφθέγξατο.* Nihil quod memorari attineat discriminis est inter *εἰπεῖν* et *φθέγξασθαι.* Quare restituendum est *οὐδὲν οὐδ' ἐφθέγξατο*, cf. 253 : *ἐκεῖσε ἐλθὼν οὐδὲ τοὔνομα ἐφθέγξατο τῆς χώρας.*

§ 243 : *ἀλλὰ μὴν καὶ [ἐπὶ τοῖς δικασταῖς] ἔλεγες κτλ.* Vitiosum esse *ἐπὶ* cum intellexisses, *ἐν* corrigendum censuisti. At parum recte se habet *καὶ ἐν τοῖς δικασταῖς.* Nam iudicii illius iam paulo ante conmemoratio facta erat : *ἔλεγες τοίνυν τότε πρὸς τοὺς δικαστὰς κτλ.* § 242. Quare *καὶ* coniungendum est cum *ἔλεγες.* Hoc evasurum est, si mecum deleveris *ἐπὶ τοῖς δικασταῖς.*

§ 253 : *οὗτος δ' Ἀμφίπολιν ἐξέδωκε [καὶ ἀπέδοτο].* Acerbius sonat solum *ἐξέδωκε*, quod proditionis crimen continet, cf. § 257 *πολλὰ καὶ δεινὰ πρεσβεύσας καὶ χώρας ἐκδεδωκὼς κτλ.*

§ 266 : *ἀλλὰ πρὶν μὲν ἐξελθεῖν ἐνιαυτὸν [τοῦ πολέμου] τὰς πόλεις ἁπάσας ἀπολωλέκεσαν.* Non modo belli sed omnino illius de quo antea sermo fuerat temporis annus designatur.

§ 270 : *ὑμῶν ἕκαστος, ἂν μὲν ἃ χρὴ . . ψηφίζηται, βελτίω τὰ κοινὰ ποιήσει τῇ πόλει καὶ ἄξια τῶν προγόνων πράξει, ἂν δ' ἃ μὴ δεῖ, φαυλότερα καὶ ἀνάξια τῶν προγόνων [ποιήσει].* Ad *ἀνάξια* subaudiendum est *πράξει*, at *ποιήσει* ne conmodum quidem est ad sententiae rationem.

§ 286 : *οὐδὲ δεινὸν ἡγήσατο [εἶναι] τὸ πρᾶγμα εἰ ὁ τοιοῦτος λέγει.* Cf. Var. Lectt. p. 484. Similiter § 317 : *ὥστε ἢ μηδὲν ὧν ἐβούλετο [εἶναι] διαπράξασθαι ἢ ἀνάγκην εἶναι ψεύσασθαι*, cf. 320.

§ 319 : *διέφθειρε τοὺς ξένους αὐτῶν καὶ τὸν ἡγούμενον [καὶ στρατηγοῦντα] Ὀνόμαρχον.* Utrum eligimus, grammaticorum sedulitatem in verbis explicandis an Demosthenis insulsum orationis exaggerandae studium?

§. 320 : *ἐκρατοῦντο δὲ Θηβαῖοι [καὶ μάχην ἥττηντο] καὶ τρόπαιον ἀπ' αὐτῶν εἱστήκει.* Interpretes grammatici Demosthenis mendacium sine culpa nimium auxerunt.

Haud pauca sane restant quae Tecum conmunicare voluerim, sed temporis et spatii angustiis, ut Aeschini locum relinquam, finem facere cogor. Redeo igitur ad Aeschinis emendationem.

III 21 : *πάλιν ὑπεύθυνον οὐκ ἐᾷ τὴν οὐσίαν καθιεροῦν κτλ.* Rectius Tu articulo adiecto scribis : *τὸν ὑπεύθυνον*, ac pudet profecto illud apertum vitium intactum me reliquisse. Quid autem? Credisne emendatum Tua coniectura nostrum oratorem? Immo ad veterum grammaticorum consuetudinem vitio aperto sublato interpolatum esse hunc locum existimo. Nam paulum quaeso retrospice : ibi occurret : *ἀρχὴν ὑπεύθυνον μὴ ἀποδημεῖν.* Inde sermocinatione quadam subiecta pergit orator legis ipsius verba referre : *πάλιν οὐκ ἐᾷ τὴν οὐσίαν καθιεροῦν*, scilicet *ἀρχὴν ὑπεύθυνον*, quod ipsum etiam legitur § 31 : *ἕτερος δ' ἀπαγορεύει νόμος ἀρχὴν ὑπεύθυνον μὴ στεφανοῦν.* Video Te subridere, quod ego fortius etiam et audacius videlicet Aeschinem emendare didicerim. Ac simul hac mea emendatione facillima conposita est altercatio eorum, qui hoc loco *ἀρχὴν* utrum *magistratum* significaret an pro particula *omnino* esset dubitaverunt.

III 47 : *ἵν' ἡ πόλις ἡ βουλομένη τινὰ τῶν ὑμετέρων στεφανοῦν πρέσβεις πέμψασα δεηθῇ τοῦ δήμου, ἵνα κηρυττόμενος μείζω χάριν εἰδῇ τῶν στεφανούντων ὑμῖν, ὅτι κηρῦξαι ἐπετρέψατε.* Ibi quod nemo adhuc Reiskium secutus correxerit : *ἵν' ὁ κηρυττόμενος κτλ.*, iure ac merito reprehendisti. At multo maior hanc Aeschinis sententiam corruptela insedit. Nam subiectorum quod tam subita ingruat variatio, quid tandem causae est? Quid? Reiskii sententiam si Aeschines voluisset efferre, quid quaeso dicere debuerat? Haec opinor : *ἵν' ἐὰν ἡ πόλις — —, ὁ κηρυττόμενος κτλ.*, vel hunc in modum : *ἵνα καὶ ἡ πόλις — — καὶ ὁ κηρυττόμενος.* Quare cum conparationem etiam in archetypo libro adscriptum supra versum fuisse ex codicum memoria appareat, ego hac ratione subducta adducor ut proponam : *ἵν' ἡ πόλις — πρέσβεις πέμψασα δεηθῇ τοῦ δήμου καὶ μείζω χάριν εἰδῇ ὑμῖν, ὅτι κηρῦξαι ἐπετρέψατε.* Atque habuit Atheniensibus exterarum gratia civitatum plus certe conmendationis quam unius alicuius civis benevolentia et favor.

III 88 : *καὶ παρὰ τὸν ἱππόδρομον τὸν ἐν Ταμύναις ἐκ παρατάξεως μάχῃ κρατήσαντες ὑποσπόνδους ἀφεῖσαν τοὺς πολεμίους.* Atque hoc loco suspicionem mihi iam dudum movebat, quod in optimis vel potius melioribus libris (A) *μάχῃ νικήσαντες* scriptum inveneram. Neutrum nimirum verum est. Nam qui *ἐκ παρατάξεως* vicit, idem proelio vicit. Aeschines igitur constanti Graecorum usu dixerat : *ἐκ παρατάξεως κρατήσαντες ὑποσπόνδους ἀφεῖσαν τοὺς πολεμίους*, cf. 151 : *ἐπὶ δὲ τὴν παράταξιν ὥρμησαν*, Dinarch. I 82 : *τοιοῦτος οὗτος, ἐν μὲν ταῖς παρατάξεσιν οἰκουρός, ἐν δὲ τοῖς οἴκοι μένουσι πρεσβευτής, ἐν δὲ τοῖς πρεσβευταῖς δραπέτης ἐστίν.* Inde apparet apud Dem. IX 49 : *νυνὶ δ' ὁρᾶτε μὲν δήπου τὰ πλεῖστα τοὺς προδότας ἀπολωλεκότας,*

οὐδὲν δ' ἐκ παρατάξεως οὐδὲ μάχης γιγνόμενον excerpendum esse ex ordine verborum istud *οὐδὲ μάχης*.

III 255 : *καὶ μὴ μόνον τοῖς ὠσὶν ἀλλὰ καὶ τοῖς ὄμμασι διαβλέψαντες εἰς ὑμᾶς αὐτοὺς βουλεύσασθε.* Constans oratorum dicendi consuetudo subigit nos reponere *ἀποβλέψαντες*. Atque cum praepositiones *δια–* et *ἀπο–* apud Aeschinem ex scripturae similitudine permultis locis confusas esse constet, nemo profecto audaciae et temeritatis me incusabit si III 95 : *καὶ διελογίζετο ὅσον ἑκάστους ἔδει συντελεῖν* restitui mihi placet : *ἀπελογίζετο*; cf. p. 24 n.

Foedissimum vitium etiamnunc latet III 234 : *ἔχαιρε γὰρ κολακευόμενος· ἔπειτ' αὐτὸν οὐχ οὓς ἐφοβεῖτο, ἀλλ' οἷς ἑαυτὸν ἐνεχείριζε, κατέλυσαν.* Non prodiderunt populare inperium ii, quibus tunc ipsum populus arbitrium sui permittebat, sed ii, quibus nimia delectatus adulatione summam potestatem permiserat. Metus igitur et fiduciae tempora diversissima sunt. Quod cum ita sit, reponendum videtur *ἐνεχείρισε*. Paulo ante obtemperare debueram melioribus libris (A), in quibus *οὕτω* deest; legendum igitur : *αἳ ῥᾳδίως κατεκήλησαν τὸν δῆμον*, cf. III 3. Din. I 88 : *καὶ παύσατε τοὺς ῥᾳδίως καθ' ὑμῶν χρήματα λαμβάνοντας.* Contrarium vitium deprehendisse mihi videor apud Dinarch. I 24 : *καὶ οὐκ ἠλέησε ὁ μιαρὸς οὗτος πόλιν οὕτως [οἰκτρῶς] ἀπολλυμένην.* Nam cum supremam Thebanorum miseriam paulo ante orator summa cum animi conmotione descripsisset, satis erat mentes audientium ad hanc taeterrimae fortunae notitiam revocasse uno adverbio demonstrativo. Accedit quod in altera codicum familia *οὕτως οἰκτρῶς*, in altera *οἰκτρῶς οὕτως* traditum habemus. Interpolatio igitur manifesta est.

Doleo porro III 186 non receptum a me esse quod meliores libri (A) tuentur : *οὑτωσὶ μὲν ἐρωτηθέντες ἅπαντες ἀποκρινεῖσθ' ὅτι Μιλτιάδης.* Nam dubitatio illa, quam probavi, *ἀποκρίναισθ' ἂν* parum in illius sententiae rationem cadit, cf. 243 : *ἅπαντες γὰρ ἅμα ἀποκρινοῦνται ὅτι Χαβρίᾳ μὲν κτλ.*

Nunquam in animum induxi ut rectum ac verum esse illud crederem quod III 184 legitur : *πρῶτοι δυσμενέων εὗρον ἀμηχανίην.* Nam quam ego nuper temptavi interpretationem, eam ipse ut nimis artificiosam inprobo. Quid si scribamus *εἷλον*? Cf. Mnemosynae VI 197.

III 162 : *οὗτος ἠγνοημένος ὅστις ποτ' ἐστὶ καὶ πῶς βεβιωκὼς κτλ.* Atticae elegantiae nitorem credo obscurasse syllabam male repetitam. Legendum : *ἠγνοημένος τίς ποτ' ἐστὶ καὶ πῶς βεβιωκὼς κτλ.* Ne apud Sophoclem quidem Oed. Reg. 71 transitum hunc ab interrogatione obliqua ad rectam factum vitio vacuum esse credo : *ὡς πύθοιθ' ὅτι δρῶν ἢ τί φωνῶν τήνδε ῥυσοίμην πόλιν.* Exempla quidem quae Schneidewin et Nauck attulerunt mirum quantum discrepant, emendatio autem facillima est factu : *ὡς πύθοιτο τί δρῶν ἢ τί φωνῶν.* Nec alia res est apud Eurip. Iphig. Aul. 696 : *τοὔνομα μὲν οὖν παῖδ' οἶδ' ὅτῳ κατῄνεσας, γένους δὲ ποίου χὠπόθεν, μαθεῖν θέλω.* Quid enim facilius quam hoc : *γένους δ' ὁποίου χὠπόθεν, μαθεῖν θέλω*? Eandem vocalium confusionem explicavi Aesch. III 160 : *ἐπειδὴ δ' ἐτελεύτησ' ὁ μὲν Φίλιππος, Ἀλέξανδρος δ' εἰς τὴν ἀρχὴν κατέστη*, ubi codices praebent vel *ἐτελεύτησε μὲν* vel *ἐτελεύτησε*. Emendari etiam debet Dem. XV 34.

Confusionem peperit saepius numerorum per litteras notatio. Inde factum est, ut in Aeschinem III 163 ingrueret : *εἷς μὲν ὁ πρῶτος*, et III 54 : *ὧν ἕνα μὲν καὶ πάντων πρῶτον*, sicuti III 61 : *τὸν ἕνα τῶν τεττάρων καιρῶν*, ubi in multis libris bene emendatum est : *τὸν πρῶτον*. Quem ad modum igitur ex illis quos supra conmemoravi locis uno legendum est *ὁ μὲν πρῶτος*, sic altero emendandum videtur : *ὧν πρῶτον μὲν κτλ.* Duo etiam loci Demosthenis XXIII 18 : *ἓν μὲν ὡς παρὰ τοὺς νόμους τὸ ψήφισμα εἴρηται δεύτερον δ' ὡς ἀσύμφορόν ἐστι*, et LVI 21 : *ἓν μὲν τοῦτ' ἐστιν αὐτῷ μέρος τῆς ἀπολογίας, δεύτερον δ' ἐκεῖνο* similem in modum·

emendandi videntur, ut utroque scribatur *πρῶτον μὲν*. Nam quod codices tradiderunt si Demosthenes ipse edidisset, hoc saepius profecto in illius orationibus occurreret.

Absorptam esse temporis vetustate unam praepositionem existimo III 147 : *ἀλλ' εἰ μὴ τῶν Ἑλλήνων ἐναντίον ἀναρρηθήσεται, τοῦτ' ἤδη ἀγανακτεῖ.* Nam cum paulo ante similem sententiam orator isto verbo (*ἀγανακτεῖ*) concluserit, nunc oratoria vis fortius et ardentius verbum requirit. Quare suspicor scriptum antiquitus fuisse : *τοῦθ' ὑπεραγανακτεῖ,* quo verbo Aeschines I 60 usus est. Nam adverbium *ἤδη* in pluribus libris omissum, in A additum nihil valet ad augendam orationis vim.

Molestissimum emblema mihi iam detexisse videor III 130 : *ἀπαίδευτος ὢν καὶ ἀπολαύων [καὶ ἐμπιμπλάμενος] τῆς δεδομένης ὑφ' ὑμῶν αὐτῷ ἐξουσίας.* Quasi vero *ἀπολαύειν* et *ἐμπίμπλασθαι* non eandem prorsus vim et significationem haberent. Particularum vero *καὶ — καὶ* quae tandem relatio sit, equidem mente non adsequor. Ac percommodum est, quod idem orator eodem verbo translata significatione utitur I 56 : *καὶ ἧκε δεῦρο (Ἡγήσανδρος) ἀπολελαυκώς, ὡς λέγεται, τῆς ἐκείνου εὐηθείας κτλ.* Quis igitur dubitabit verba illa *καὶ ἐμπιμπλάμενος* exterminare? Cf. Dem. XXIV 52 : *τῆς εὐηθείας τῆς ὑμετέρας ἀπολαύειν*, XIII 19 : *ἐρημίας ἀπολαύων.*

III 127 : *οὐκ ἐᾷ μεμνῆσθαι τῶν ὅρκων, [οὓς ἡμῶν οἱ πρόγονοι ὤμοσαν] οὐδὲ τῆς ἀρᾶς οὐδὲ τῆς τοῦ θεοῦ μαντείας.* In melioribus libris inventum est : *οὓς ἡμῶν ὤμοσαν οἱ πρόγονοι.* Quid multa? Orationis brevitas ac vehementia non admittit istam relativae enuntiationis loquacitatem. Sed quantumvis multa ex istis orationibus emblemata furca expuleris, tamen usque nova recurrent! Similiter III 124 : *τέλος δὲ [παντὸς τοῦ λόγου] ψηφίζονται* conflatum est ex adnotatione et hac simplicitate : *τέλος δὲ ψηφίζονται.* Paulo ante : *τῇ δ' ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ Κόττυφος [ὁ τὰς γνώμας ἐπιψηφίζων] ἐκκλησίαν ἐποίει τῶν Ἀμφικτυόνων* verba ea, quae uncis notavi, ex § 128 adsumpta esse apparet. Nam hoc quidem loco ista sententia absurda est. Haud difficilis mihi exstitit quaestio III 116 : *ἐξήγγελτο δ' ἡμῖν παρὰ τῶν βουλομένων εὔνοιαν ἐνδείκνυσθαι τῇ πόλει, ὅτι οἱ Ἀμφισσεῖς ὑποπεπτωκότες τότε [καὶ δεινῶς θεραπεύοντες] τοὺς Θηβαίους εἰσέφερον δόγμα κατὰ τῆς ἡμετέρας πόλεως κτλ.* Coniunctim igitur adhuc feruntur duo verba *ὑποπεπτωκέναι* et *δεινῶς θεραπεύειν,* quamquam separatim unumquodque prorsus eandem notionem conplere satis constat. Nam *ὑποπεπτωκέναι* significat *submisse adulari* vel *blandiri, δεινῶς θεραπεύειν mirum quantum adulari* vel *blandiri.* Haec igitur verba coniunctim efferri non possunt, nisi *ὑποπεπτωκέναι* propria potius vi ac natura usurpatum adhibeatur quam notitia translata. Nemo enim huc vocabit aut 162 : *τὸν Ἀλέξανδρον ὑποτρέχει καὶ πλησιάζει ἐκείνῳ* aut Dem. XXIII 8 : *ὑμᾶς δ' ὑπέρχεσθαι καὶ θεραπεύειν.* Quodsi universae sententiae conformatio translatae significationis rationem excludit, quid tandem relinquitur? Nihil credo quam ut translatum et electum verbum explicatum esse statuamus super lineam adposita dictione vulgari et usu cotidiano tritissima. Quare eiciendum simul *καὶ δεινῶς θεραπεύοντες* et restituendum casum dativum *τοῖς Θηβαίοις* arbitror. Nam vulgari ex consuetudine vitae verbo *adulandi* adiecto casus forma substantivi nominis subiecti inmutari debuit. Si quidquam Aeschines addere vellet, concinnitate orationis servata dicere debuit *ὑπερκολακεύοντες,* adverbium adsumere non potuit.

III 109 : *οἱ Ἀμφικτυόνες ἐψηφίσαντο . . . ἐπιστρατεύειν ἐπὶ τοὺς ἐναγεῖς κατὰ τὴν μαντείαν τοῦ θεοῦ· καὶ συναθροίσαντες δύναμιν πολλὴν [τῶν Ἀμφικτυόνων] ἐξηνδραποδίσαντο τοὺς ἀνθρώπους.* Nihil certe intemptatum relinquunt homines, multa etiam audent ad varietatem et elegantiam orationis. Illud vero inauditum est vel infantis oratoris inventum : Amphictyonas bello decreto Amphictyonum videlicet magnam manum collegisse! Nam aut ipsorum copias coegerunt illi aut aliena vocarunt auxilia. Hoc quidem si fecissent, accommodata auxiliantium populorum commemoratio videretur, at cum suos ipsi milites contribuerint ad rem gerendam, quid tandem

Amphictyonas Amphictyonum exercitum coegisse praedicatur? Elucescit opinor interpretum diligentia ac sedulitate natum extrinsecus in flumen orationis sincerae influxisse additamentum.

III 100: *ἀπαγαγὼν δ' ὑμᾶς ἄπωθεν ἀπὸ τοῦ κλέμματος καὶ ἀνακρεμάσας ἀπὸ τῶν ἐλπίδων κτλ.* Non video, cur orator communi dicendi consuetudine relicta *ἀνακρεμάσαι ἀπό τινος* quam *ἔκ τινος* dicere maluerit. Elegantiae quidem hoc artificio parum consuluisse videtur, quia in uno eodemque enuntiato eiusdem praepositionis iteratione, nisi aut necessitas flagitaverit aut rhetorica quaedam vis, nequaquam pulchritudo orationis adaugetur. Quare cum in uno quodam meliore libro (h) servata sit *ἐπὶ* suprascripto *ἀπὸ*, conveniens videtur rationi criticae restituere *ἐκ τῶν ἐλπίδων*. Articulus autem *τῶν* auditorum animos revocat ad recordationem eorum quae paulo ante de hoc genere promissorum dixerat: *ἐλπίδων οὐκ ἐσομένων*. Ceterum in formula *ἀπάγειν ἀπὸ τοῦ πράγματος* apud Demosthenem quidem *ἄπωθεν* nusquam repperi adiunctum.

III 89: *ἀλλ' ὅμως τοιαῦτα πεπονθότες πάλιν διελύσασθε πρὸς αὐτούς. τυχὼν δὲ συγγνώμης [παρ' ὑμῶν] Καλλίας [ὁ Χαλκιδεὺς] μικρὸν διαλιπὼν [χρόνον] πάλιν ἧκε φερόμενος εἰς τὴν ἑαυτοῦ φύσιν.* Interpolatio quantum ad Aeschinis depravationem valuerit, quoniam nunc mihi multo etiam magis perspectum est, nihil iam vereor omnia verba uncis circumdata exterminare. Nam *παρ' ὑμῶν* supervacuum, molestum etiam *ὁ Χαλκιδεύς*, languidum vero participio subiectum nomen *χρόνον*. Possis etiam corrigere *διαλιπὼν χρόνον* sine adiectivo, at haec dictio non conveniens videtur: brevitas quidem interiecti temporis urguetur. Accedit quod alibi Aeschines nomine omisso simpliciter dixit *μικρὸν διαλιπών*, veluti I 111, III 10. Incerta autem temporis intervalla vel actionis intermissiones ut significaret, duobus locis III 217. 220 *διαλιπὼν* et *διαλείπων* sine ullo aut adiectivo aut substantivo usurpavit.

III 72: *καὶ τελευτῶν ἐπὶ τὸ βῆμα παρακαλέσας Ἀντίπατρον ἐρωτήματ' ἄττ' ἠρώτα, προειπὼν μὲν ἃ ἐρήσεται, προδιδάξας δ' ἃ χρὴ [κατὰ τῆς πόλεως] ἀποκρίνασθαι.* Verte hanc extremam sententiam: obscuram esse videbis propter adiectionem istius membri *κατὰ τῆς πόλεως*. Nimirum ad ea quae Demosthenes rogaverit, Antipater doctus est sententiam dicere. Omne vero artificium Demosthenem contra rempublicam machinatum fuisse, satis superque universa narratione explicatur. Cum igitur in uno quodam ex melioribus libro (a) traditum sit *περὶ τῆς πόλεως*, hoc membrum ex ingenio grammaticorum ortum apparet.

III 70: *καὶ προσέγραψαν [ἐν τῷ δόγματι] ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ τῶν Ἑλλήνων . . . εἰς τὴν αὐτὴν στήλην ἀναγράφεσθαι [μετ' Ἀθηναίων] καὶ μετέχειν τῶν ὅρκων κτλ.* Ac primum quidem probabile est verba illa *ἐν τῷ δόγματι* non magis ex vera Aeschinis oratione profluxisse quam simile additamentum § 11, quod cum Dobreo Tu nuper sublatum voluisti. Nec vero minus verum est III 142: *γράψας ἐν τῷ ψηφίσματι*, quam Dem. XXI 170: *εἰ προσέγραψέ τις ἐν τῇ στήλῃ*. Deinde suspectum mihi est *μετ' Ἀθηναίων*. Nam si quidquam, adici debuit *τοῖς Ἀθηναίοις καὶ τοῖς συμμάχοις αὐτῶν*, vel, cum socii iubeant ceteros Graecos qui voluerint in sociorum nomen adscribi: *τοῖς συμμάχοις* vel simile quidquam. Patet quod vulgo traditum sit, male enuntiatum esse.

III 53: *καίτοι, ὦ Κτησιφῶν, ὅπου τὰ μέγιστα τῶν αἰσχρῶν οὕτως ἐστὶ πιστὰ καὶ γνώριμα τοῖς ἀκούουσιν κτλ.* Ibi cum codices omnes falso praebeant *ὅτῳ*, multi multa ad emendandum proposuerunt, ipse nuper excogitavi *ὅπου*, ab hoc loco alienissimum. Nunc credo ex falsa codicum scriptura rectius restitui: *ἐφ' ᾧ*. Cuius dictionis quamquam mihi exemplum non praesto est absolutum, similitudines tamen conparari licet: Hom. ω 91: *οἷ' ἐπὶ σοὶ κατέθηκε θεὰ περικαλλέ' ἄεθλα*, Soph. Oed. Col. 414: *καὶ ταῦτ' ἐφ' ἡμῖν Φοῖβος εἰρηκὼς κυρεῖ*; Thuc. II 35, 1: *ὡς καλὸν ἐπὶ τοῖς ἐκ τῶν πολέμων θαπτομένοις ἀγορεύεσθαι αὐτόν* (an *ἔπαινον*?), cf. II 34, 3:

λέγει ἐπ' αὐτοῖς ἔπαινον τὸν πρέποντα. Nec absonum est contulisse Hom. *Δ* 178 : *αἴϑ' οὕτως ἐπὶ πᾶσι χόλον τελέσει' Ἀγαμέμνων.*

Mirum mihi, fateor enim, ad aures accidit, quod ad III 16 : *ὑμέτερον ἔργον ἐστὶν ἀπομνημονεύειν* verbum substantivum inpersonalibus dictionibus nunquam adiunctum esse dixisti. Nam illud quidem constat, saepissime hoc verbum in simili ratione esse omissum, at semper hoc factum constanti usu quis quaero hoc adfirmare audeat? Hanc regulam si sequamur, ego vereor ne terram coelo confundere videamur! Nec vero aliud profecto est tantam legum severitatem praescribere quam altiora mentis humanae studia exiguo quodam carceris gyro circumscribere. Idemque sentio quod III 26 participium *βουλόμενος* effingi Tibi placet. Etenim ista conpositionis et angustiarum liberatio, etsi raro admittenda est, at ex ipsa humanae mentis natura atque ex libertatis studio manare mihi videtur.

Nec minus ego verum et sanum esse arbitror III 34 : *ἐν τῷ δήμῳ ἐν Πυκνὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ.* Non repraesentavit Aeschines legis ipsius simplicitatem, sed oratoria quadam vi et verborum cumulatione eandem bis ac ter sententiam iudicum auribus inculcavit. Deinde firmissimum credo illud nomen adminiculum habet hoc subiecto enuntiato : *οὐδὲ ἐκκλησιαζόντων Ἀϑηναίων κτλ.* Quod quidem causae fuit, cur ego paulo ante *οὐκ ἐν Πυκνὶ ἀλλ' ἐν τῷ ϑεάτρῳ* corrigendum esse putarem.

III 42 : *καὶ ταῦτ' ἔπραττον οὐχ ὥσπερ οἱ ὑπὸ τῆς βουλῆς τῆς ὑμετέρας στεφανούμενοι ἢ ὑπὸ τοῦ δήμου, πείσαντες ὑμᾶς καὶ μετὰ ψηφίσματος, πολλὴν χάριν καταϑέμενοι, ἀλλ' αὐτοὶ προελόμενοι ἄνευ δόγματος ὑμετέρου.* Emendari Tibi placuit *ἢ οἱ ὑπὸ τοῦ δήμου*, quod necessarium profecto videtur, nisi omnis maiore quadam macula ista sententia aspersa haberetur. Nam si qui in senatu ornarentur, hunc quidem honorem non plebiscito consequebantur : cadit hoc in eos, qui populo in contione coronandi viderentur. Quamobrem nescio an Aeschines, cum praesertim in codicibus *B* articulum ante *ὑπὸ τῆς βουλῆς* abesse videam, simplicius et verius dixit : *καὶ ταῦτ' ἔπραττον οὐχ ὥσπερ οἱ ὑπὸ τοῦ δήμου στεφανούμενοι κτλ.* Illud denique *καὶ μετὰ ψηφίσματος* paratum me fuisse abolere, nisi prohiberet Dem. LIX 18 (Dind.) auctoritas, professus sum in editione Berolinensi.

III 44 : deleri iussisti verba illa *οὐ γὰρ ἔξεστιν*, quia quod non liceret Athenis certo tamen fieri soleret. Hoc quidem verum esse non pugno. At Aeschines consulto sustinet cavillatoris partis, ut in suum videlicet usum hanc opportunitatem convertat. Quod quidem fieri posse optime noverat, ut adversario omnem aditum refellendi sui intercluderet, fricta fronte fieri non posse simulavit. Nemo inpudentius istam *βίαν* exercuit quam ipse Demosthenes. Quid igitur? Aeschinem credis emendari debere ad innocentiam atque integritatem mentis exactum? Ego adhuc in oratorum monumentis omnia mendaciorum plenissima mihi invenisse videor. Nec aliter res se habet III 49 : *καὶ τὸν κήρυκα ἀναγορεύειν ἐν τῷ ϑεάτρῳ πρὸς τοὺς Ἕλληνας, ὅτι στεφανοῖ αὐτὸν ὁ δῆμος ὁ Ἀϑηναίων ἀρετῆς ἕνεκα καὶ ἀνδραγαϑίας.* Nemo profecto illud sibi persuasit, in ipsa lege *πρὸς τοὺς Ἕλληνας* scriptum fuisse. Quid ergo? Hoc causae esse putabimus, ut verba ista excerpamus? Minime vero! Etenim duplici oratores aliena modo verba repetunt : aut ita ut nihil admisceant aut irae risus contemptus causa, quod acerbitatis hilaritatis contumeliae vim habeat, extrinsecus adspergunt. Hoc vero nostratium etiam oratores in publicis conventibus tamquam suum artificium venditant : nimirum ubique natura humana et sensus communis valet! Cf. I 163 : *ἐμισϑωσάμην, ὦ Ἀϑηναῖοι, Τίμαρχον ἑταιρεῖν ἐμαυτῷ κατὰ τὸ γραμματεῖον τὸ παρὰ Δημοσϑένει κείμενον.*

III 48 : *εἰ δ' ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων, ἀποδέδεικταί σοι τόπος* [*ὅπου δεῖ τοῦτο γίγνεσθαι*], *ἀπείρηταί σοι ἔξω τῆς ἐκκλησίας μὴ κηρύττεσθαι.* Ego quem ad modum ea quae inclusi facile concedo excerpenda esse, ita reliqua etiam verba *ἀποδέδεικταί σοι τόπος* expellere recuso. Nam duplicem Aeschines admovet rationem : primum contionis arenam in lege certo definitam dicit, deinde in eadem lege addito *ἄλλοθι δὲ μηδαμοῦ* alium praeter contionem locum interdictum esse confirmat. Qua ratione adversarium eo conpellere studet, ut legem illam de peregrinis honoribus latam nihil huc valere ipse concedat.

III 55 : *δῆλον ὅτι μέχρι τῆς ἡμέρας ἐκείνης ἐν ᾗ* [*κατα*]*λύσας τὴν ὑπάρχουσαν εἰρήνην τῇ πόλει ὁ αὐτὸς οὗτος* [*ῥήτωρ*] *ἔγραψε τὸν πόλεμον.* Ibi ex codicum vestigiis (in *m* *οὗτος* post *ῥήτωρ* positum est) aut *οὗτος* aut *ῥήτωρ* deleri debet. Veri simile igitur pronominis definitionem, i. e. nominis *ῥήτωρ* adiectionem insiticiam esse. Atque simillimam mihi depravationem animadvertisse videor I 181 : *ἅμα δὲ παρακαλέσας ἄλλον τινὰ τῶν Λακεδαιμονίων . . ἐπέταξεν αὐτῷ τὰς αὐτὰς εἰπεῖν γνώμας οὕτως ὅπως ἂν δύνηται,* [*ἃς εἶπεν ὁ πρότερος ῥήτωρ*]. Nam ab ipso oratore hanc sententiam extremam non adiectam esse, convincitur credo manifesto cum sententiae dissoluta conlocatione tum molesta eiusdem verbi dicendi repetitione. Nam si hoc voluisset addere enuntiatum, certe hunc in modum extulisset : *ἐπέταξεν αὐτῷ τὰς αὐτάς, ἃς καὶ ὁ πρότερος ῥήτωρ, εἰπεῖν γνώμας οὕτως ὅπως ἂν δύνηται.* Accedit quod hoc extremum membrum significantia quadem elatum extremum totius enuntiati locum tenere oportet. Sed redeo ad III 55. Proposuisti enim pro *μέχρι τῆς ἀτυχίας τῆς ἐν Χαιρωνείᾳ* scribere : *μέχρι τῶν ἐν Χαιρωνείᾳ,* auctoritate opinor codicum A adductus, qui *τῶν ἐν Χ* pro *τῆς ἐν Χ* praestant. Sed codicum eiusmodi in rebus nulla est auctoritas. Nec mihi credibile videtur, oratorem ira ardentem tamquam *ψυχρὰν ἐπὶ θερμοῖσι καρδίαν ἔχοντα* istuc tam frigidum effudisse *μέχρι τῶν ἐν Χαιρωνείᾳ.* Codicum scriptores nimirum illorum qui pugna caesi fuerant calamitatem sibi finxerunt. Paulo post exstinctum voluisti hoc enuntiatum : *ὁποίου τούτων τῶν τεττάρων αὐτοῦ καιρῶν κατηγορῶ,* quia videlicet desideratur in melioribus codicibus (A). At istos cummaxime libros lacunis laborare nec hoc in genere ullam eorum auctoritatem esse, demonstravi in Prolegg. Ctesiph. p. VI. VII. Quare satius duxerim corrigere aut *ποίου τούτων τῶν τεττάρων αὐτοῦ καιρῶν κατηγορῶ καὶ πότε αὐτὸν οὐ τὰ βέλτιστά φημι τῷ δήμῳ πεπολιτεῦσθαι,* aut : *ὁποίου τούτων . . . κατηγορῶν ὁπότ' αὐτὸν οὐ τὰ βέλτιστα κτλ.* Illud quidem ex ipsius Aeschinis responso luce clarius elucere videtur (§ 56), Demosthenis interrogationem similibus ac prope eisdem verbis atque Aeschinis responsum conformatam fuisse. Hoc autem ipsum responsum : *ἀποκρίνομαι δὴ ὅτι ἁπάντων τῶν τεττάρων καιρῶν κατηγορῶ σου οὓς σὺ διαιρεῖ* optime emendasti cum pronomen *σου*, quia nihil nisi illud ipsum, quod relativo enuntiato elatum sit, significare possit, omnino expunxisti. Hanc rationem probo, at remedium nescio an lenius videbitur hoc : *ὅτι ἁπάντων τῶν τεττάρων καιρῶν κατηγορῶ ὅσους σὺ διαιρεῖ,* cuius pronominis auxilio simul relativum enuntiatum fortius evadit.

